BIBLIOTECA NAZ.
131
D
29
NAPOLI
BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
151
D
29
NAPOLI

Digitized by Google

102 . a . 113

Digitized by Google

102
A
144 Autor hujus opusculi est Dom Thierry Ruinart Moine Benedictin de S. Maur

V. Du-Pin _ Bibl: des auteurs Ecclesiast.
du 17.e siecle to. 6 . pag. 290 —

ECCLESIA PARISIENSIS
VINDICATA

ADVERSUS

R.P. BARTHOLOMÆI GERMON

DUAS DISCEPTATIONES

De antiquis Regum Francorum diplomatibus.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI
R.B.B. NEAPOLIS

PARISIIS,

Apud Viduam FRANCISCI MUGUET
Regis & Cleri Gallicani Typographi.

M D C C V I.

CUM PERMISSU.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

ECCLESIA PARISIENSIS

VINDICATA

Adverſus R. P. Bartholomæi Germon duas diſceptationes de antiquis Regum Francorum diplomatibus.

NEMO neſcit R. P. Germonium presbyterum ſocietatis Jeſu, politioribus maxime litteris inſtructum, in celebre Mabillonii opus de Re-diplomatica, quod omnium ſilentio, ne dicam elogio, jam à viginti & ſex annis in tota Europa probatum videbatur, inſurrexiſſe; & hominem ſenem, paciſque amantem, juvenili ardore ad certamen una & altera Diſceptatione provocaſſe. Priori diſceptationi Supplementum ſui operis, haud nominato adver-

ſario, ſtatim oppoſuit Mabillonius; ad poſteriorem hactenus conticeſcit.

Cum vero nihil magis optare videatur Germonius, quam ut vir adeo celebris, qualis eſt certe Mabillonius, ad diſceptationes ſuas nominatim reſpondeat; hic autem alio intentus nondum id aggreſſus ſit: in animum induxi, rem viris eruditis, ipſique fortaſſe Germonio, haud ingratam me facturum, ſi dum Mabillonius ipſe, aut alius quivis hoc argumentum, quod jam ab aliquibus viris doctis parari audio, data opera pertractet, unius ex veteribus inſtrumentis à Germonio impugnatis, quod inſignis Eccleſiæ Pariſienſis veteres titulos ſeu baſilicas ſpectat, pro mea in illam reverentia, defenſionem ſuſcipiam. Illud eſt Teſtamentum Vandemiris viri illuſtris & Erchambertæ uxoris

ejus, quod capite VIII. utriuſque ſuæ Diſceptationis oppugnare aggreſſus eſt Germonius. Qua quidem charta, ſi ſincera ſit, ut Mabillonius contendit, & conſentiunt alii viri eruditi; nihil aptius afferri poteſt ad illuſtrandum aſſerendumque hujus inſignis Eccleſiæ antiquum ſplendorem: cum in ea & recenſeantur pleræque baſilicæ & monaſteria, quibus olim ſive in ipſa urbe, ſive in reliqua diœceſi nobilitabatur; & maxime commendetur patrum noſtrorum religio, quæ à primis Monarchiæ Francicæ temporibus in locis ſacris exſtruendis & dotandis adeo enituerit. Quare viſum mihi eſt aliquod operæ pretium diligenter inquirere, num tanti ſint ponderis rationes, quas adverſus tam præclarum, ut mihi quidem videtur, monumentum protulit Germo-

nius, ut ejus auctoritatem elevare poſſint.

Et quidem hujus chartæ ſinceritatem propugnaturus, non immorabor refutandis generalibus illis argumentis, quæ in prima Diſceptatione adverſus omnia prorſus antiqua monumenta proferre viſus eſt Germonius; cum id jam abunde præſtiterint viri perquam eruditi, ipſe ſcilicet Johannes Mabillonius in mox laudato Supplemento, & Juſtus Fontaninus, Eloquentiæ in archigymnaſio Romano celebris Profeſſor, in Vindiciis veterum Diplomatum, Romæ ipſius ſummi Pontificis auſpiciis anno proxime elapſo editis. Immo reclamarunt omnes omnium ſimul ordinum homines, nulluſque non obſtupuit, cum animadverterent hominem ex generalibus quibuſdam præjudiciis cæco velut im-

petu, univerſis, quæ vetuſtatem aliquam præferant, inſtrumentis aſſultantem, idque levibus adeo argumentis, ut jam illum ipſum in altera ſua Diſceptatione eorum ſuppudere videatur; profitendo ſe minime gentium hoc in animo habuiſſe: ſed ea tantummodo impugnare voluiſſe inſtrumenta, quæ à Mabillonio in ſpecimen prolata fuerant.

Evinci quidem poterat his, ſimilibuſque generalibus argumentis, quod certe omnes ultro fatentur, multa ſcilicet variis modis periiſſe antiqua monumenta: at omnia eamdem habuiſſe ſortem nemo dixerit. Res enim eſt adeo à ſenſu communi aliena, ut mirum ſit eam cuiquam in mentem venire potuiſſe. Enimvero quædam ex antiquioribus inſtrumentis ſupereſſe quis infitiari audeat? Neque etiam ego falſa quædam pro an-

tiquis venditari negare velim ; nec Mabillonius ipſe umquam voluit. Fatendum itaque eſt ſupereſſe vetera quædam inſtrumenta ſincera ; ſicut & quædam falſa aut vitiata. Jam vero utram ad claſſem revocari debeat charta Vandemiris, inquirendum eſt : non quidem ex ipſius inſpectione. nam ipſe Germonius palam aliquando confeſſus eſt coram ſummo Magiſtratu, ſe numquam eas chartas, quas impugnare animo propoſuerat, vidiſſe : ſed de ea agendum, qualem Mabillonius illam in libro de re Diplomatica repræſentavit. Hæc enim eſt ipſa, quam ejus adverſarius capite octavo utriuſque ſuæ Diſceptationis impetere aggreſſus eſt.

Hanc autem chartam falſam eſſe, aut certe pro ſuſpecta haberi debere contendit Germonius ex hoc ejus loco: *Simile modo*

donamus ad baſlica domnæ Vincente, vel domni Germani, ubi vir venerabilis Audcharius abba præeſſe veditur, villas &c. *anno* XVII. *rigni domini noſtri Theuderice glorioſiſſimi regis*. Quibus verbis duo ait enuntiari; unum valde incertum, quod ſcilicet Audcharius, ſeu Autharius, fuerit abbas cœnobii S. Germani Pratenſis regis Theoderici temporibus; alterum manifeſte falſum, nempe baſilicam Pratenſem eo tempore ſancti Germani nomine donatam fuiſſe. Hæc in prima Diſceptatione; in altera vero, præter illa duo falſitatis indicia, tertium ſe detexiſſe exiſtimat: quod nempe præter memoratam loco laudato ſanctorum Vincentii & Germani baſilicam, altera item ſub ſancti Germani titulo, in eadem charta occurrat. Quem locum cum de eccleſia ſancti Germani Auti-

ſiodorenſis apud Pariſios dicta interpretatus fuerit Mabillonius, id pro manifeſta falſitatis nota habendum eſſe Germonius contendit. Hæc tria totidem paragraphis expendenda ſunt, quæ ſi nullius roboris eſſe oſtendero, manebit inconcuſſa chartæ Vandemiris auctoritas.

I.

Autharium tempore Theoderici Francorum regis abbatiæ ſancti Germani præfuiſſe, non modo Vandemiris teſtamento, ſed alia etiam veteri charta probari poſſe, ipſe Germonius fatetur; at utriuſque illius inſtrumenti ſinceritatem ſuſpectam eſſe contendit, oppoſitione veterum monumentorum, quorum multo major quam iſtarum chartarum ipſi videtur eſſe auctoritas. » Oppono, inquit, utri» que diplomati veteres mona» ſterii indices, ſcriptos ante

quingentos annos. Oppono «
præterea Aimoinum, qui ante «
annos ferme nongentos ſcri- «
bebat ; qui, (ſic laudes ejus «
auctoris liberaliter proſequi-
tur) etſi in aliis rebus non adeo «
certæ auctoritatis fuerit, magni «
tamen debet eſſe ponderis, «
cum agitur *de rebus abbatibuſ-* «
que ſancti Germani à Pratis ; «
quod nempe *ex familia ſancti* «
Benedicti fuerit, & quidem «
Pratenſis monachus ; immo «
exſtiterit ejus loci, ut habet «
Breulius, ſcriba & notarius ; «
potiſſimumque curaverit, ut «
ille ipſe monet, *ut mentio in om-* «
nibus libris fieret ſancti Benedi- «
cti, *certis ex cauſis*, ideſt, *certis*, «
uti, ſic loqui pergit Germonius,
interpretor, *ex monumentis*. Quæ
verba *ad monaſterium Germa-*
nenſe ille reſtringit, cujus tan- «
tummodo loci hiſtoriam & ab- «
batum geſta ſuo operi inſeruit «

» Aimoinus, quod ei nimis ope-
» roſum fuiſſet *& immenſum, to-*
» *tius Ordinis ſancti Benedicti res*
» *univerſas complecti.* Hæc de Aimoini ſcriptis. Tum de ejuſdem auctoris ætate ſic diſſerit: » Cum
» ſæculo nono (nam id tunc ar-
» bitrabatur Germonius) floruerit, ferme attigit ad tempus
» Theoderici regis, proindeque
» facile ei fuit ſcire, quinam ſæ-
» culi ſeptimi aut octavi fuerint
» Pratenſis monaſterii abbates,
» eorumque nomina recenſere. Quæ, aliaque ſimilia verbis magnificis enarrare ſtudet, ut illi ſcriptori, cui tot decora affingit, & abbatum Pratenſium catalogis, qui ex ſeo contexti ſunt, auctoritatem conciliet. Et quidem alicujus, immo & maximi, fateor, momenti cenſeri deberent, ſi eſſent vera. At fere tot errores, quot verba.

Etenim Aimoinus, quem lau-

dare putabat Germonius anno-
rum nongentorum ſcriptorem,
non eſt Aimoinus, ſed auctor
anonymus trecentis annis vero
Aimoino poſterior. Id norunt
quicumque in hiſtoria gentis
noſtræ tantiſper verſati ſunt;
reſque adeo evidens eſt ac certa,
ut Germonius ipſe in altera ſua
Diſceptatione, quantumvis re-
luctans, errorem ſuum diffiteri
auſus non fuerit. Enimverò ex
tribus auctoribus variorum tem-
porum unum hominem eo loci
conflavit; nempe ex Aimoino
Pratenſi monacho, qui re ipſa
floruit ſæculo nono: ſed qui, ne
quidem per ſomnium, de rebus
inter Germonium & Mabillo-
nium controverſis egit; ex alte-
ro, item Aimoino dicto, Flo-
riacenſi monacho, ſæculi unde-
cimi ſcriptore, qui quidem Fran-
corum hiſtoriam exaravit; ſed
nihil habet de Pratenſi baſilica,

aut de ejus abbatibus: ut etiam confiteri modo, volens nolens, coactus eſt Germonius: denique ex Anonymo, qui hæc omnia, quæ ab eodem Germonio laudata ſunt, ſecundi, id eſt Floriacenſis, Aimoini hiſto ræ adjecit, ſed ſub ſæculi duodecimi medium.

En qualem perſonam, ex hominibus tam diverſæ ætatis conflatam, ſuæ ſententiæ vadem produxit Germonius.

Hiccine eſt nobilis ille & domeſticus auctor annorum nongentorum, qui ad Theoderici regis ætatem acceſſiſſe, & ferme attigiſſe ſæculi ſeptimi aut octavi abbates Germanenſes dicebatur? Immo vero laudatur homo penitus obſcurus, cujus ne nomen quidem notum eſt; certe multo recentior utroque ſincero Aimoino: quippe qui poſt varias ſui monaſterii clades & incen-

dia, abbatum Germanenſium nomina & aliquot geſta hiſtoriæ Aimoini ſæculo duodecimo inſeruit. Ruere itaque neceſſe eſt præclara illa conſectaria, quæ ex tot abſurdis adverſus Vandemiris chartam opponebantur.

Nec magis Germonio favent Aimoini verba ex præfatione, quibus ille auctor mentionem ſe facturum pollicitus fuerat *Benedicti patris... certis ex cauſis*. Hæc enim non interpolator anonymus, ſed ſincerus Aimoinus dixit, qui cum in monaſterio ſancti Benedicti Floriacenſi viveret, de eo loco ſe locuturum, ut re ipſa locutus eſt, pollicitus eſt his verbis: quorum ſenſum non aſſecutus Germonius, ea ad Germanenſe monaſterium detorquere incaute conatus eſt.

Hæc autem ita certa ſunt & indubitata, ut ipſe adverſarius in ſecunda ſua Diſceptatione

diligentiſſime, inquiens, *retractaturus* quæ hac de re in prima diſſeruerat, fateri coactus fuerit vel invitus, ea quæ de Aimoini ætate & ſcriptis à ſe in prima Diſceptatione prolata fuerant, vera non eſſe; atque ea omnia quæ Aimoino ſæculi noni auctori tribuerat, revocanda eſſe ad anonymum ſcriptorem, qui ſæculo duodecimo vixit.

Verum tergiverſando erratum occulere conatur: ſed vide quam male ab iſto errore ſe purget: » Id, inquit, factum, quod animadvertiſſem, *præfixos ſingulis capitulis titulos eoſdem fere eſſe* » apud Cheſnium ſinceri Aimoini editorem, ac apud Breulium, qui interpolatum Aimoinum vulgavit &c. Id ita contigiſſe puto, ſi quidem hoc dicit vir religioſus. Abſit enim ut eum malæ fidei reum dicam. At ſi utraque editio ſibi adeo nota fuit,

fuit, ut aſſeverat; ſatiſne illi fuerat, virum doctum & diligentem impugnare proponenti, libros ita oſcitanter evolvere, ut vix eorum titulos attingeret, contentus ſummaria capitum legiſſe? Et ne illa quidem accurate legit. Si enim vel ea ſummaria, quæ ab ipſo laudantur, attente legiſſet, aut integra; facile ei acpervium fuiſſet animadvertere multo plura, potiſſimum ex his quæ è re ſua erant, in Breuliana editione haberi, quam quæ in Cheſniana occurrunt.

Animadverti, inquit Germonius, ſed in id propendebam, ut exiſtimarem potius librorum « titulos à Floriacenſi monacho « decurtatos, quam eos fuiſſe « amplificatos à Germanenſi. «

At, Deus bone, quas in anguſtias tu te ipſe, vir erudite, conjeciſſes iſthac reſponſione! Quippe cum hæ Breulianæ ſeu Germa-

B

nenſis monachi amplificationes ad ſæculum uſque duodecimum protendantur; quo pacto eas à ſæculi noni auctore conſcriptas fuiſſe putaſſes? Certe cavendus erat hic ſcopulus; niſi forte hunc auctorem prophetam dicere voluerimus, qui res longe poſt ſuam ætatem futuras ſcriptis mandaſſet. At ſi quiſpiam id dixerit; neminem, puto, hac in re ſibi conſentientem inveniet.

Denique, ut ut ſit de hujus erroris occaſione, quem abjecit Germonius, parum noſtra intereſt; dum hoc ſaltem unum conſtet, & quidem fatente ipſo Germonio, jam conſtat, illum quem putabat ſæculi noni auctorem, non eſſe Aimoinum; ſed anonymum ipſo ætate multo inferiorem, qui ſinceræ Aimoini Hiſtoriæ multa ſuper adjecit poſteriorum temporum facta, quæ Germonius, ac ſi antiqua fuiſ-

ſent, in teſtimonium rei controverſæ adduxit. Hoc quippe ſemel admiſſo omnis ejus argumentatio evaneſcit.

Haud tamen cedit. « Etſi, inquit, hæc ab Interpolatore fuiſ- « ſe ſincero Aimoino addita fa- « tendum ſit, *non tamen contem-* « *nenda ſunt, aut nullius auctoritatis* *reputanda*; cum ille Interpola- « tor, ut pote Germanenſis mo- « nachus, ea adjecerit ad mona- « ſterii ſui antiquitatem com- « mendandam, & quidem ex pro- « bis monumentis. Nam vero ſi- « mile eſt, uti cenſet Labbeus, il- « lum fuiſſe monaſterii ſui nota- « rium ſeu amanuenſem, cui non « ſolum libri, quotquot erant in « armariis, paterent; ſed & ſcri- » nia omnia eſſent aperta, in qui- « bus monaſterii chartæ & privi- « legia continerentur. Hæc primum ex Labbeo Germonius: ſed paullo inferius, factus audacior

ad conciliandam homini, qui cauſæ ſuæ adeo neceſſarius eſt, auctoritatem, ex ſe ipſo abſolute pronuntiat. *Hic monaſterii ſui ſcrinia diligenter excuſſit, inſtrumentiſque inſpectis ſingulos abbates ordine, ac ſuo quoſque tempore digeſſit.*

Mirum eſt hæc adeo confidenter ab adverſario proferri. at eum excuſat neceſſitas cauſam penitus deſperatam quoquo demum modo valet tuendi. alias nempe meminiſſe ipſe debuerat, quæſtionem eſſe de auctore ſæculi duodecimi, proindeque privilegiis veterum ſcriptorum, eo ipſo judicante, deſtituto. Quî enim fieri poſſet, ut ille auctor veteribus Germanenſis monaſterii chartis & inſtrumentis ſuperiorum ſæculorum (nam de his ſolummodo controvertitur) diligenter inſpectis, Abbates ejus loci ordine ac tempore ſuo digeſſerit, ſi, ut in prima ſua Diſ-

ceptatione pronunciavit Germonius, vix credibile ſit aliquas ex veteribus Germanenſis monaſterii chartis, poſt tot ejus loci incendia & clades, ſuperfuiſſe; adeoque ſuſpectas eſſe debere eas, quæ modo proferuntur, ob id unum quod veteres ſint? Scilicet chartas illas pro libito perire ac reviviſcere jubet Germonius; adeo ut ſi quæ illi ad anguſtias redacto favere videantur, hoc ipſo pro legitimis debeant admitti; ſin autem, ſpuriæ & nullius auctoritatis reputandæ ſint, proindeque rejiciendæ. Verum quo me abripit tuendæ adverſus Germonium huc illucque tergiverſantem antiquorum monumentorum auctoritatis ſtudium?

Abſit vero, ut in recipienda veterum chartarum Germanenſium auctoritate ei contrarius ſim: cum non modo illæ,

quas Mabillonius protulit, cauſæ meæ faveant, ſed hæ etiam ipſæ, quibus Interpolator ab ipſo Germonio laudatus uſus eſt, ut inferius demonſtrabo. Nunc vero ſufficiat, ut interim pro conceſſo habeatur, in archivo Germanenſi poſt varias inclyti iſtius monaſterii clades ſuperfuiſſe chartas, quæ ad illuſtrandam ejus loci antiquitatem ab anonymo illo adhiberi potuerint; quibus utique etiam nobis, cum ſeſe offeret occaſio, uti liceat.

Jam vero cum larvatus ille Aimoinus, quem Germonius in ſuæ cauſæ patrocinium adduxerat, à ſua ætate, proindeque & auctoritate deciderit, non eſt quod jam miretur Germonius, ut ſe feciſſe antea dicebat, tali anonymo prælatum fuiſſe à Mabillonio Giſlemarum vitæ ſancti Droctovei auctorem, qui hunc ſanctum virum primum mona-

ſterii Germanenſis abbatem appellavit. Hoc enim merito à Mabillonio factum fuiſſe vel ex eo ſolo conſtat, quod Giſſemarus ad ſæculi noni finem pertineat; Aimoini vero Interpolator, trecentis annis poſterior quam Germonius opinabatur, ad duodecimum.

Et ipſe,ait Germonius,etiam « Mabillonius in determinanda « auctoris vitæ ſancti Droctovei « ætate falſus eſt. Non enim, ut « ipſe putat, ille Auctor ſæculo « nono ſcripſiſſe cenſendus eſt, « qui monaſterii ſui conflagra- « tiones ea ætate factas enarrans, « illas non *ut rem memoria ſua* « *geſtam*, ſed quaſi longe ante « patratam, retulit. Deinde, cu- « juſcumque demum ætatis fue- « rit Aimoini Interpolator, certe « poſterior illo fuit Auctor vitæ « ſancti Droctovei; ſi quidem « Aimoinum, etiam interpola- «

» tum ipſe laudavit ; nempe n. 2,
» ubi *Geſta Francorum* memorat,
» quem quidem titulum ſince-
» rus Aimoinus non habet apud
» Cheſnium , ſed ſolummodo
» Aimoinus interpolatus in Breu-
» liana editione.

Ad hæc omnia facilis eſt reſponſio. Et quidem ex duplici Germanenſis cœnobii conflagratione per Nortmannos ſæculo nono facta , quam utramque memorat Giſlemarus in vita ſancti Droctovei, recte infertur hunc auctorem poſt illud tempus ſcripſiſſe ; at cum idem ipſe auctor num. XI. innuerit baſilicam Pratenſem, licet *Danorum tempore pæne diſperiiſſet* , adhuc tamen ſtetiſſe cum ſcriberet ; eumdem circa ipſius ſæculi noni finem vixiſſe recte conjecit Mabillonius. Nec Germonium moveant Giſlemari verba in prologo ita loquentis, ac ſi ea quæ

Danorum temporibus contigerant, multo ante ejus ætatem facta fuiſſent. Hic enim loquendi modus erat illius ævi auctorum, cum de rebus etiam ſuo tempore geſtis loquerentur. Ejus rei domeſticum exemplum ſuppeditat ſincerus Aimoinus, & ipſe Pratenſis eodem tempore monachus, qui res à Nortmannis ſub Caroli Calvi regni initium, id eſt anno DCCCXLVI. geſtas narrans ita loquitur. Hæc *priſcorum temporibus Danorum*, *Ragenarii &c.* Et ipſe tamen tunc vivebat, quippe qui jubente Goſlino abbate ſuo Germanenſi, Caroli Calvi Cancellario, hæc ſcripſit.

Quod vero addit Germonius Aimoinum, & quidem interpolatum, à Giſlemaro laudatum fuiſſe, ſcilicet num. 2. quo iſte auctor *Geſta Francorum* ſe conſuluiſſe dicit; nihil aliud his verbis evincit, quam ſe in noſtræ gen-

tis hiſtoriæ ſcriptoribus laudandis, quod quidem pace ejus dixerim, parum diligentem eſſe & accuratum. Quis enim umquam dixit, quod ſane in ejus ſententia dicendum eſſet, ſolum Aimoinum, aut ejus Interpolatorem *Geſta Francorum* ſcripſiſſe; itaut perinde ſit Geſta Francorum, ac Aimoinum ſive ejus Interpolatorem laudare? Certum eſt è contrario, & quidem id omnes norunt, S. Gregorium Turonenſem epiſcopum, Fredegarium, Roriconem, alioſque veteres auctores celeberrimos de eodem argumento libros exaraſſe, quorum proinde opera ſub nomine Librorum de Geſtis Francorum laudari poſſunt; & quidem ſub hoc ipſo titulo paſſim apud auctores laudantur: Giſſemarus vero Aimoinum, contra quam dicit Germonius, nuſquam nominavit, aut In-

terpolatorem ullo modo deſignavit : ſed *Geſta Francorum*, ſe conſuluiſſe ſimpliciter refert.

Ecquem igitur, inquies, eo nomine indicare voluiſſet? Nempe veterem illum Anonymum, qui Theoderici principatu ſcribebat. nam & hujus Anonymi liber vulgo *Geſta Francorum* appellari ſolet; & locus à Giſlemaro laudatus exſtat apud illum auctorem, nempe cap. 26. ubi inter alia, hæc verba ab ipſo Giſlemaro indicata occurrunt : *Childebertus vero Pariſius veniens, eccleſiam in honore beati Vincentii martyris ædificavit.* Hinc patet quo ducere poſſit præceps veterum lectio, & incauta cenſura.

Aliud ſuæ in legendis auctorum libris, quibus maxime innititur, incuriæ argumentum Germonius præbet, cum dicit hanc citationem ad Interpolatorem potius eſſe referendam,

quam ad ipſum Aimoinum; » quod, inquit, ſincerus Aimoi- » nus apud Cheſnium nuſquam » habeat titulum *de Geſtis Fran-* » *corum*; eum vero præferat Breu- » liana Interpolati editio. Immo hæc ipſa verba non ſemel exhibet Aimoini Cheſniana ipſa, quam laudat Germonius, editio. ſic quippe ibi incipit, *Aimoini.... in librum* DE GESTIS FRANCORUM *epiſtola*. Et poſt prolegomena : *Incipit liber primus* DE GESTIS FRANCORUM. Plura referre ſuperſedeo.

Nunc vero, ſi lubet, Giſlemarum Vitæ ſancti Droctovei auctorem cum ipſo Interpolatore conferamus, ut exinde pateat, quis è duobus ſit alteri præferendus; rectene à Germonio reprehenſus fuerit Mabillonius, quod Giſlemarum Interpolatori prætulerit. Ex ipſo Germonio, ille auctor, cujus nomen

notum eſt, qui ætate eſt anti-
quior, & qui ea quæ narrat hau-
ſit è domeſticis monumentis,
anteponendus eſt alteri, qui ano-
nymus eſt ac recentior, & qui
antiquis inſtrumentis haud in-
nititur. At (ſic ſubſumo) Giſle-
marus vitæ ſancti Droctovei au-
ctor, à Mabillonio laudatus, has
omnes præ Interpolatore præ-
rogativas obtinet. Concluſio fa-
cile deduci poteſt. Mea autem
propoſitio ſic demonſtratur.

1°. Quamvis vitæ ſancti Dro-
ctovei auctorem paſſim appel-
larit Germonius Anonymum,
ut & ipſe aliquando Mabillo-
nius, priuſquam ejus nomen,
quod in verſibus ab ipſo Giſle-
maro vitæ S. Droctovei acroſti-
ce præmiſſis latebat, detexiſſet;
certum tamen hodie eſt hunc
auctorem notum eſſe. nam qua
ratione ipſi nomen ſuum pro-
denti fides denegari poſſit, non

video. At è contrario Interpolator Aimoini nomine, ipſo Germonio fatente, merito exutus, ignotus remanet & ſine titulo.

2°. Giſlemarus qui ſub finem ſæculi noni, aut ſequentis initio floruit, ut ſuperius obſervatum, antiquior eſt Interpolatore, qui, ut ejus ſcripta produnt, & Germonius jam conſentit, ſub ſæculi duodecimi medium vivebat. Adde, ſi manuſcriptorum auctoritas aliquid apud eum valet, codicem in quo reperitur ſancti Droctovei vita, antiquiorem eſſe autographo Interpolatoris, ut ex comparatione utriuſque in Bibliotheca Germanenſi facta colligere licebit.

3°. Denique ea quæ Giſlemarus in vita S. Droctovei refert, hauſerat ex antiquis & domeſticis Germanenſis monaſterii monumentis, aut ex probis auctoribus, quod mirum eſt à Germonio

fuiſſe ignoratum: ſi tamen cognitum non diſſimulavit. Id enim, ille ipſe Giſſemarus diſerte teſtatur his verbis : *ſed ne quiſpiam*, inquit, *huic noſtro refragetur operi ..... exſtant quidam de eo* ſancto Droctoveo *verſiculi*, *à beato Fortunato editi... Addidi propterea, quo videlicet inſtinctu noſtrum à glorioſiſſimo rege Childeberto ſit fundatum cœnobium, quia hoc reperitur in Geſtis Francorum. Nec vero illud omiſi qualiter idem piiſſimus vir Droctoveus à beato Germano primus abbas delectus ſit ibi*, *ſicut* IN TOMIS REPERITUR ANTIQUISSIMIS, *qui ſervantur in* ARCHIVIS *noſtri monaſterii*. Et quidem Giſſemarus vir fuit pro tempore diligens & optimi judicii, ut obſervavit noſtræ ætatis auctor ſeverioris cenſuræ; idque ex eo patet, quod cum res ante ſuum ævum geſtas deſcribere poſt varia ſui monaſterii incendia animo con-

ſtituiſſet,ficta aut mira commentus non eſt, ut facere ſolent vulgares ſcriptores; ſed ea tantummodo retulit,quæ apud vetuſtiores & bonæ notæ auctores habebantur magis certa & indubitata, conſultis etiam quæ tunc ſupererant antiquiſſimis ſui monaſterii monumentis, ex quibus ea quæ narraturus erat expromeret.

Neque dixerit Germonius, etiam Interpolatorem Aimoini in ſtatuendo Abbatum catalogo vetera Germanenſis monaſterii inſtrumenta conſuluiſſe. nam hæc ipſa monumenta quæ laudavit interpolator, ad id potiſſimum valent, ut Giſlemari ſententiam in ſtatuendo Droctoveo primo loci abbate ſtabiliant & confirment. Hic nempe libro 3. cap. 2. ſicut & Giſlemarus in vita ſancti Droctovei, laudat Chlotarii chartam, in qua Rex ipſe

ipſe teſtatur, ſe in monaſterio Vincentiano conſtituiſſe abbatem, quod de Droctoveo intelligendum eſſe non modo ex Giſlemaro, ſed ex ipſo etiam Interpolatore colligitur, diſertis verbis aſſerente libro 2. cap. 36. Droctoveum, Chlotario rege annuente, à ſancto Germano factum fuiſſe Vincentiani monaſterii abbatem.

At, inquies; Interpolator id defuncto jam Authario contigiſſe refert. Verum eſt, ſed ex præjudicata falſa opinione, quam ex male intellectis chartis imbiberat. Exiſtimabat quippe ille auctor, Autharium monaſterio Vincentiano præfuiſſe ſub Childeberto primo, loci conditore. quod quidem falſum eſſe hæc ipſa quæ ille narrat perſuadent. Ea ſi lubet examinemus.

Anonymus interpolator lib. 2. cap. 29. ſcribit Chlotarium poſt

fratris ſui Childeberti, loci conditoris, mortem, cum nondum dedicata eſſet novi monaſterii baſilica, cenſuiſſe rem non eſſe procraſtinandam, mandaſſeque, habito cum ſancto Germano, ac Ultrogotta fundatoris relicta, ſuiſque affinibus Chrotberga & Clotſinda conſilio, ut id quam primum fieret; ac tandem curaſſe, ut ipſo dedicationis die, ex ſuis earumque propriis rebus, nova eccleſia pro more dotaretur. *quod*, inquit idem Interpolator, *fecerunt*, *& ſcripto ſuo corroboraverunt*; haud dubie illo ipſo, quod ſupra laudavimus, in quo Chlotarius ait ſe *abbatem* in baſilica Vincentiana conſtituiſſe. Immo cum ibi non hunc aut illum, ſed abſolute *abbatem* conſtituiſſe Rex dicatur; id forte de jure abbatis habendi baſilicæ Vincentianæ tunc primum conceſſo, quod Childebertus jam

antea facere propoſuerat, intelligendum eſt. Sed utcumque vertantur hæc Chlotarii verba, quæ ex Interpolatore retulimus, manifeſte indicant, ſi bene judico, monaſterium Vincentianum, quod Childebertus inchoaverat, immo & fere perfecerat, à Chlotario rege omnino abſolutum fuiſſe, ibique præfectum abbatem; qui, fatente Interpolatore, Droctoveus fuit. proinde nullum ſupereſſe locum Authario, qui vivente Childeberto I. abbas fuerit.

Conſtat tamen, inquit Germonius, *Childebertum cum adhuc eſſet in vivis, apud ſanctum Vincentium monachos conſtituiſſe, quos ſine prælato vixiſſe nemo dixerit.* Eſto. Fateor jam eo tempore, quo obiit Childebertus, monachos in Vincentiano monaſterio fuiſſe. at cum tunc nondum plane abſolutum eſſet monaſte-

rium, nec ejus eccleſia ritu ſollemni dedicata (qua quidem occaſione, ut canones præſcribunt, loca ſacra dotari ſolebant) monachi illi ex Burgundia à ſancto Germano advecti nondum habebant peculiarem abbatem, præter ipſum ſanctum Antiſtitem, ſub cujus regimine in monaſterio Æduenſi vixerant; licet ejus vices jam tunc forte egerit Droctoveus, ipſis quidem abbas deſtinatus: ſed qui nonniſi poſt baſilicæ dedicationem, Clothario rege annuente, ordinatus fuerit.

His quæ diximus, vetera ſcripta & auctores antiqui concordant. Aiunt quippe Childebertum regem ex Hiſpanica expeditione reverſum Vincentianam baſilicam exædificaſſe, ſed quæ nonniſi ſub ejuſdem Regis vitæ finem abſoluta fuerit. Et quidem hoc ipſo ejus depoſitionis die

eamdem conſecratam fuiſſe teſtis eſt Uſuardus Pratenſis cœnobita, qui ante Nortmannorum clades ſcripſit. Conſentit charta Childeberti ab ipſo Interpolatore relata, quam vulgo *Pragmaticum* appellant. In ea, quæ paucis ante ejus obitum diebus data eſt, Rex ait, ſe exhortatione ſanctiſſimi Germani « Pariſiorum Pontificis, vel con- « ſenſu Epiſcoporum cœpiſſe « conſtruere templum in urbe « Pariſiaca prope muros civita- « tis..... Tum recenſet prædia « quæ ſervis Dei tradit, & ad re- « ctores ipſorum, ſed nullam ab- « batis mentionem facit : quod ſane indicium eſt nullum revera tunc ibi exſtitiſſe ; donec Chlotarius, ut mox ex ejus charta dicebam, ſtatim poſt Childeberti obitum fraterni regni heres, ſupremam ejus voluntatem exſecutus, novo monaſterio

Droctoveum à ſancto Germano præfici & in abbatem ordinari curaſſet. His accedit, quod privilegium ſancti Germani in ejuſdem monaſterii gratiam, ab eodem Interpolatore aliiſque relatum, nonniſi Chariberto regnante conceſſum ſit. Ex quibus omnibus patet verum eſſe quod ſupra dicebam, nempe, quod etſi Aimoini Interpolator ſcripſerit Autharium fuiſſe primum Germanenſem abbatem tempore Childeberti I. regis; omnia tamen monumenta, quæ ab ipſo & aliis huc proferuntur, favere Giſſemaro, Droctoveum primum ejuſdem loci abbatem ſtatuenti.

Unde igitur, inquies, Autharium inter Germanenſes abbates primo loco recenſuit Interpolator, qui monaſterii ſui chartas evolviſſe dicitur? neque enim malæ fidei temere debet accu-

ſari. Reſpondeo id quod jam ſuperius dixi, hoc nempe ex chartis male intellectis contigiſſe. Anonymum enim chartas monaſterii evolviſſe haud diffiteor, atque ex eis catalogum abbatum contexuiſſe. Quin & eum bonæ fidei hominem fuiſſe lubens admitto; attamen in locando Authario ipſum deceptum fuiſſe mihi perſuaſum eſt, idque occaſione harum ipſarum chartarum, quas perſcrutatus fuerat.

Cum enim hic Auctor in veteribus iſtis inſtrumentis Autharium abbatem Vincentianum advertiſſet laudatum tempore Childeberti regis, atque in illis chartis, ut omnes norunt, nec anni æræ Chriſtianæ, nec aliæ certæ epochæ expreſſæ haberentur; ad hæc, cum neque quis eſſet Childebertus, primus, ſecunduſve an tertius, cui tri-

buendæ forent hæ chartæ, minime deſignaretur; ſtatim ille bona fide ad Childebertum primum, loci conditorem, qui ei præ ceteris in mentem venit, eas chartas retulit. quæ tamen ad Childebertum tertium revocandæ erant.

Nihil porro obſtat, quominus ille Autharius inter alios Germanenſes abbates ſub Childeberto tertio ſtatuatur. Non enim ita replent annorum ſeriem recenſiti per id tempus in vulgatis indicibus abbates, ut locus Authario dari non poſſit, ſalva etiam veterum monumentorum fide, quibus illi indicum auctores uſi ſunt. quod gratis à me dictum nemo exiſtimet. nam præter ceteras, quæ forte in archivo Germanenſi habentur, edita eſt charta Gamonis cujuſdam viri nobilis, qui Lemauſenſem parthenonem monaſterio

Pratenſi, *cui Autharius abbas* præerat, Childeberti tertii principatu, ſubjectum eſſe voluit.

Jam vero nihil Germonio proderit confugere ad illas artes, quibus, deficiente alio perfugio, uti conſuevit, dicendo ſcilicet hanc chartam vel ex eo quod vetuſta ſit, vel quod Aimoino opponatur, ſuſpectam eſſe debere. Hanc, inquam, evadendi viam ſibimetipſi præcluſit. Nam ex una parte, Aimoinum ab ipſo laudatum, ſuo nomine, ſuaque antiquitate & auctoritate merito excidiſſe faſſus eſt; ex altera vero Interpolatorem Aimoini, cujus teſtimonio potiſſimum utitur, multo poſt Nortmannorum clades, veteres chartas Germanenſis archivi evolviſſe modo affirmabat, ut ſuum abbatum ejus loci catalogum contexeret.

At forte adhuc opponet alias monaſterii clades, incendia, di-

reptiones. Certe quin his infortuniis plurima perierint, negari non poteſt: at non omnia excidiſſe probant reliquæ ſancti Germani, aliorumque ſanctorum reliquiæ, quas Aimoinus Pratenſis monachus in libris de Miraculis ſancti Germani varia in loca tranſportatas fuiſſe tradit teſtis oculatus. Idem probant veterrimi libri ejuſdem loci bibliothecæ ex illis cladibus erepti, qualis eſt codex Pſalmorum ipſius ſancti Germani, aureis & argenteis litteris in membranis purpureis exaratus; qualis etiam alius Evangeliorum codex in ſimilibus membranis & aureis pariter characteribus omnino ſcriptus: quibus addere licet beati Pauli epiſtolas litteris majuſculis latine & græce exaratas, alioſque vetuſtiſſimos codices. Quod ſi hæc, aliaque monumenta, quæ ibi hodieque viſuntur, tot tan-

tiſque cladibus ſupereſſe potuerunt, quidni etiam nonnulla magni momenti inſtrumenta, quæ diligenter conſervari, & tuto in loco reponi tanti referebat?

Ex his itaque omnibus liquido patet, quam fluxa & caduca ſint argumenta, quæ Germonius adverſus Vandemiris teſtamentum ex Autharii abbatis facta in eo mentione protulit. Nunc an validiora ſint, quæ ſecundo loco in illud objecit, diſpiciendum eſt.

II.

Alterum momentum, quo plane falſi convinci poſſe Vandemiris teſtamentum arbitratur Germonius, illud eſt, quod Pratenſis baſilica non modo ſancti Vincentii, ſed etiam ſancti *Germani* nomine in illo inſtrumento donetur. quod ante beati Antiſtitis tranſlationem factum

præfracte negat. Atque ut id probet, multa ex variis auctoribus teſtimonia congerit, in quibus hæc eccleſia ſancti aut beati Vincentii baſilica ſimpliciter appellatur. At licet infitiari nolim, Pratenſem baſilicam, ſub beati Vincentii potiſſimum titulo dicatam, eo nomine frequentius, quam alio quovis apud auctores antiquos paſſim deſignari: nihilo minus contendo, quod fatentur viri eruditi, priori huic titulo quandoque etiam beati Germani nomen ſubjunctum fuiſſe, maxime quod, eodem Sancto adhortante, à rege Childeberto exædificata; ab eo ipſo beato Antiſtite conſecrata fuerit, & ejus dotata facultatibus, atque etiam poſt illius mortem ejus ſepulcro nobilitata, & frequentibus illuſtrata miraculis.

Certe hoc multis aliis baſilicis contigiſſe, ſi res exigeret, ſex-

centis exemplis demonſtrari poſſet. Ita nempe apud Rotomagum baſilica ſancti Petri nomen ſancti Audoeni accepit; apud Remos baſilica ſancti Chriſtophori dicta eſt ſancti Remigii; & Joviniana, ſancti Nicaſii: ſicuti Mettis ſancti Petri eccleſia appellata demum fuit ſancti Arnulfi; & Floriacenſis in agro Aurelianenſi prope Ligerim, quæ ſancti Petri titulo inſignita fuerat, tranſlato in eam ſancti Benedicti corpore, ab eo nomen recepit. Eodem modo ſancti Petri baſilica Pariſiis, ſanctæ Genovefæ; ac alia item ſancti Petri, poſtea ſancti Mederici titulo donatæ fuerunt. Denique, ut alias prope innumeras prætermittam, in ipſo Dagoberti teſtamento, quod ſæpe laudatus Aimoini Interpolator refert, cuique *fidem tuto adhiberi* poſſe credit Germonius,

baſilica domnæ Columbæ & domini Lupi Senonis memoratur. quod duplex nomen, cum antea ſolo beatæ Columbæ vocabulo deſignaretur, non ob aliud habuit, (quod de præmiſſis quoque dicendum) niſi quod ſanctus Lupus ibi ſepulturam obtinuerit. Si id itaque in iſtis, aliiſque paſſim per orbem eccleſiis factum fuiſſe fatendum eſt, cur idem baſilicæ Vincentianæ negabitur, in qua celeberrimum erat beati Antiſtitis ſepulcrum, magno populorum concurſu honoratum; ob id potiſſimum, quod ibi multæ virtutes & inſignia miracula, ut loquuntur veteres hiſtorici, frequenter oſtenderentur.

His reponit Germonius, beatum Germanum, monente ipſo Mabillonio, in baſilica ſancti Vincentii ſepultum non fuiſſe, ſed in oratorio ſancti Symphoriani, ubi ipſemet tumulum ſibi

præparaverat. Sed futilis reſponſio. Fateor quidem beatum Germanum in oratorio ſancti Symphoriani ſepultum fuiſſe : at illud oratorium baſilicæ Vincentianæ erat adjunctum, ut ipſemet Mabillonius loco laudato habet; nec aliam illud oratorium, ſed eamdem cum Vincentiana baſilicam conſtituebat, uti hodieque conſtituit. Unde Mabillonius poſt recenſita ex Giſlemaro quinque altaria baſilicæ Vincentianæ, in crucis modum diſpoſita, ex eodem auctore ſic proſequitur, quod à Germonio potius non lectum, quam data opera diſſimulatum facile crediderim : BASILICÆ *adjuncta erant duo* ORATORIA, *unum in honorem ſancti Symphoriani ..... in quo ſepultus beatus Antiſtes.*

Jam vero cui umquam in mentem venerit inſitiari, eum in illa

baſilica ſepultum eſſe, qui in oratorio ſeu capella ipſi affixa humatus ſit? Sed, ut omnem ſubterfugii locum Germonio cavillanti præripiam, unum inter alios teſtem, ſed omni exceptione majorem, affero, ſanctum Gregorium Turonenſem, qui id ipſum quod ille negavit, diſerte affirmat: nempe beatum Germanum in baſilica Vincentiana ſepultum fuiſſe. Is quippe libro 1. de Gloria confeſſorum cap. 90. data opera agens de ejuſdem ſancti Germani ſepulcro, narrat miraculum paralytici *ſanati in porticu baſilicæ ſancti Vincentii*, IN QUA, inquit, *beatus Germanus requieſcit in corpore.* Adhuc clarius lib. 8. Hiſtoriæ cap. 33. *Baſilicam ſancti Vincentii* laudat, IN QUA *ſepulcrum habetur ſancti antiſtitis* Germani. Non dicit in baſilica ſancti Symphoriani, cum nulla ejus fuerit à Vincen-

Vincentiana diverſa, ſed in baſilica ſancti Vincentii, *in qua* beatus Germanus requieſcit.

Viſne adhuc alium teſtem? En tibi præſto adeſt S. Bertichramnus Cenomannorum antiſtes, qui baſilicam *domni Germani*, uti jam à Mabillonio obſervàtum, appellat in ſuo teſtamento eam ipſam, quam paullo poſt nomine *domni Vincentii* deſignavit; *ubi* inquit, *ejus*, ſancti Germani, *corpuſculum requieſcit.* Ex quibus verbis, & baſilicam Vincentianam tunc temporis ſancti etiam Germani nomine donatam fuiſſe patet, & eumdem ſanctum virum in illa ſancti Vincentii baſilica jacuiſſe.

Urget tamen Germonius, aitque parum veri ſimile eſſe, ut « ſancti Germani nomen Vin- « centianæ baſilicæ ſuperaddi- « tum fuerit, ob tumulum ejus « ſancti in vicino oratorio poſi- « tum; cùm certum ſit beati An- «

» tiſtitis ſepulcrum, quamdiu
» ejus corpus in oratorio ſancti
» Symphoriani ſubſtitit, nec
» multis donariis, nec frequenti
» populorum concurſu fuiſſe ce-
» lebratum. quod, inquit, hiſto-
» riæ ejus tranſlationis Auctor,
» & ipſe Aimoinus non obſcure
» ſignificant; & aperte declarat
» Carolus Magnus in eadem hi-
» ſtoria laudatus.

Verum licetne etiam Sanctorum debitæ venerationi detrahere, ut quod ſemel prolatum eſt, per fas nefaſque defendatur? Certe tanta fuit, etiam primis illis temporibus, ſanctitatis Germani celebritas, ut ſtatim poſt ejus obitum delatus ei fuerit cultus publicus. Id probant eccleſiæ ejus in honorem jam tunc erectæ, & antiqua Martyrologia, etiam illud quod ſancti Hieronymi nomine vulgatum eſt. Conſentiunt, celebriorum auctorum,

præcipuè ſanctorum Gregorii Turonenſis, Fortunati Pictavenſis, & Audoeni Rotomagenſis epiſcoporum teſtimonia.

Et quidem Gregorius præter varia elogia & ſancti titulum, quem beato Antiſtiti paſſim tribuit, diſertis verbis eum celebrat lib. de Gloria confeſſorum cap. 90. quod *ad ejus ſepulcrum, ſæpe & greſſus paralyticorum, & cæcorum viſus reſtituantur.* Tum addit: *Et raro advenit ejus ſollemnitas, quin ibi virtus ejus oſtendatur.* Libro autem 5. Hiſtoriæ cap. 8. *Ad ſepulcrum ejus multas virtutes credentes experiuntur, ita ut quiſque &c.*

Orante vero ad idem ſepulcrum beato Eligio, qui & ipſum, teſte ſancto Audoëno, ornavit, claudus ſanatus eſt. Ad hæc Aimoinus, ſeu potius ejus Interpolator tantopere à Germonio laudatus, narrat Chilpericum

regem audita ſama inſignis miraculi, quod à Gregorio Turonenſi celebratum eſt, ad beati Antiſtitis ſepulcrum *cum magna devotione* veniſſe, edidiſſeque ejuſdem ſancti viri Epitaphium, in quo inter alios hi verſus leguntur,

Vir cui dura nihil nocuerunt fata ſepulcri.
Vivit enim: nam mors quem tulit ipſa timet.
Crevit adhuc potius juſtus poſt funera. Nam qui
Fictile vas fuerat, gemma ſuperba micat.
Hujus opem ac meritum mutis data verba loquuntur;
Redditus & cæcis prædicat ore dies.

Et quidem, ſi ipſi hiſtoriæ tranſlationis Auctori credamus, cur autem non credamus, hæc ipſa tranſlatio non niſi ob frequentiá miracula, quæ ad beati viri ſepulcrum patrabantur, facta

fuit: ut ſcilicet tam illuſtris ſancti Antiſtitis exuviæ in loco inſigniori, ad quem facilior eſſet populis acceſſus, reponerentur. Hinc ſi major poſthac concurſus illuc fuerit; ſi plura & majora auri & argenti donaria ad beati Germani corpus poſtquam in principem baſilicam illatum eſt, collata ſint, id non tam majori ejus ſanctitatis famæ, quam loci amplitudini tribuendum eſt. Non itaque mirum, ſi eccleſia Vincentiana, quæ tanto patrono celebris erat, ejus etiam nomine inſigniretur.

Præterea duos auctores indicavit Mabillonius, qui longe ante ſancti Antiſtitis tranſlationem, baſilicam illam ejuſdem nomine deſignarunt. Unus ex his eſt Anonymus, ſed æqualis, auctor vitæ ſanctæ Balthildis, qui inter *ſeniores* baſilicas unam

domni Germani dictam recenſet, mediam inter ſancti Dionyſii, & ſancti Petri (nunc ſanctæ Genovefæ) eccleſias Pariſienſes.

Negat Germonius hic Pratenſem eccleſiam deſignari, ſed potius S. Germani Autiſiodorenſem: falſique accuſat Mabillonium, quod hanc inter Pariſienſes medio loco recenſitam dixerit; cum ea, inquit, non inter Dionyſianam & ſancti Petri in vitæ contextu recenſeatur, ſed inter Dionyſianam & ſancti Medardi eccleſiam Sueſſionenſem.

Mera prorſus cavillatio. Etſi enim ſancti Medardi baſilica ſimul cum Germanenſi media memoretur inter Dionyſianam & ſancti Petri eccleſias, media tamen inter illas remanet Germanenſis. Neque falſi debet accuſari, aut quidquam diſſimulaſſe dicendus eſt Mabillonius, viri ſi quis umquam alius, ſincer,

animi: ſi quidem Anonymi locum, in quo Medardina baſilica ſimul cum aliis memoratur, integrum retulit.

At quo jure, forte repones cum Germonio, Mabillonius baſilicam ſancti Petri hic memoratam interpretatur ſanctæ Genovefæ monaſterium? cur non potius Corbeienſem, ab ipſa ſancta Regina exſtructam? Quin & forte ille auctor *Seniorum baſilicarum* nomine, antiquiores, nempe Luxovienſem, Senonenſem, Ferrarienſem, aut alias ſancti Petri baſilicas tunc notiſſimas intellexit.

Certum eſt eo loci Corbeienſem baſilicam non deſignari, ut conjicit Germonius. Poſt quam enim Anonymus hoc loco plura de Corbeienſi monaſterio à Balthilde erecto, aliiſque baſilicis per diverſas regiones ſitis, nempe de Gemeticenſi, Luxovienſi,

Fontanellenſi, aliiſque; immo & de Pariſienſibus baſilicis generaliter locutus fuiſſet; præmiſiſſetque *vix media totaque dici ejus bona omnino non poſſe*, ſubjunxit: *Præterire enim non debemus, quod per ſeniores baſilicas ſanctorum domni Dionyſii, & domni Germani, & domni Medardi, & ſancti Petri, vel domni Anniani, ſeu ſancti Martini &c.* proindeque alias, à Corbeienſi, Luxovienſi ceteriſque, quas jam ſingillatim commemoraverat, deſignare intendit. Multo minus ſancti Petri nomine, eo loci intelligi debet Ferrarienſis, aut Senonenſis, ſimileſve eccleſiæ. Nam hic tantummodo locutus eſt ille Anonymus de Senioribus, id eſt præcipuis & nobilioribus baſilicis, quæ ſanctorum patronorum corporibus inſignes erant, ut locum abſque præjudicio attente legenti haud dubie patebit.

Certe mirum fuiſſet, ſi inter *ſeniores*, ſeu nobiliores baſilicas, quas donariis piiſſima Regina exornavit, inſignem ſancti Germani baſilicam, quæ ob ipſius oculos verſabatur, tanti Præſulis tumulo & corpore, ac Regum, & potiſſimum filii ſui Childerici, ſepulcris nobilitatam prætermiſiſſet. Sed ut ut fuerit de illo ejus auctoris teſtimonio, quod forte nonnulli alio deflecti poſſe cenſebunt; alterius ſcriptoris irrefragabili auctoritate demonſtravit Mabillonius, Pratenſem baſilicam nomine ſancti Germani ſub prima Regum noſtrorum ſtirpe fuiſſe deſignatam.

Is auctor eſt ſanctus Audoënus, qui in vita beati Eligii libro 1. cap. 26. miraculum narrat claudi cujuſdam *in baſilica ſancti Germani confeſſoris apud Pariſius* ſanati. quæ verba non modo

Mabillonius, ſed etiam Valeſius, & quotquot hactenus fuere viri eruditi, re mature examinata, de Pratenſi baſilica intellexerunt. Id vero primus omnium negavit Germonius, ſed argumentis, quæ ipſi, ut demonſtrabo, omnino adverſantur.

Hic refert integrum locum Audoëni, in quo legitur beatum Eligium *Pariſius* loca orationum circumeuntem ad baſilicam *ſancti Germani* confeſſoris veniſſe, ibique vidiſſe claudum quemdam, qui juxta beati Confeſſoris *cancellos* depoſitus, orante ibidem Eligio, ſanitatem recuperavit. Unde ſic infert: In » baſilica, quæ hic memoratur, » erant cancelli ſancti Germani, » ac proinde ejus reliquiæ. At in » baſilica Pratenſi non exſtabant » tunc temporis beati Pontificis » reliquiæ: non enim in Vincen» tiana baſilica, ſed in oratorio

ſancti Symphoriani ejus ſepul- «
crum exſtabat. Unde conclu- «
dit, hîc non Pratenſem, ſed «
quamvis aliam, quæ ſancti «
Germani reliquiis ditata eſſet, «
debere intelligi. En Germo- «
nii argumentum, quod ſic adverſus hunc ipſum converto.

Ex Germonio baſilica à ſancto Audoëno eo loci ſub ſancti Germani nomine memorata, ea ipſa erat, in qua reliquiæ ſancti Germani exſtabant; adjicio, immo & ejus ſepulcrum, uti innuit vox *ad cancellos* ibi appoſita. Cancelli enim illi, ut probant varia Gregorii Turonenſis teſtimonia, ad ſanctorum ſepulcra poſiti erant. Sic cancelli erant ad ſancti Petri corpus in Vaticano, lib. 1. de gloria Martyrum cap. 23. Item Romæ ad ſepulcrum ſancti Pancratii, cap. 39. ejuſdem libri. Ad ſepulcrum ſancti Juliani Brivate, lib. 2. cap. 20. de ejus miraculis.

Ad ſepulcrum ſancti Martini, ibidem cap. 48. &c. At in baſilica Pratenſi, & quidem Vincentiana, non modo ſancti Germani reliquias, ſed ejus etiam ſepulcrum exſtitiſſe conſtat. quod ex diſertis auctorum, etiam æqualium, verbis ſupra demonſtratum eſt. Igitur etiam ex Germonii principiis concludere licet, baſilicam Pratenſem eo loci ab Audoëno ſancti Germani nomine fuiſſe deſignatam.

Quod addit, deſperatæ cauſæ indicium eſt, ſcilicet Audoënum hic locutum eſſe de baſilica *Pariſiis* (ſeu potius, ut ille auctor & alii æquales paſſim loqui ſolent, *Pariſius*) exſtante; Pratenſem vero ſitam eſſe extra urbem. Mirum certe eſt virum eruditum in plena luce ſic cæcutire.

Equidem diſceptatum aliquando fuit inter viros doctos,

utrum vici, qui aliquot milliaribus ab urbe diſtarent, ipſius urbis vocabulo deberent comprehendi: at numquam res controverſa fuit de ædibus urbis pomœrio proximis, qualis ſemper fuit Pratenſis baſilica, utpote ſita in pratis ſuburbanis. Audiendus quo modo ea de re loquatur Childebertus rex in Pragmatico, quod Aimoini interpolator anonymus, tantopere à Germonio laudatus, integrum retulit: *Ego*, inquit, *Childebertus rex, una cum conſenſu......cœpi conſtruere templum* IN URBE PARISIACA, *prope muros civitatis, in terra quæ aſpicit ad fiſcum Iſciacenſem, in loco, qui appellatur Locotitiæ &c.*

Si quis vero tam apertis auctoritatibus, quod non crediderim, repugnet; audiat Valeſium, qui Launoio ſibi exprobranti quod urbem & ſuburbana ſimul

confunderet; reſpondit, etſi à veteribus, (id eſt auctoribus mediæ ætatis) id paſſim factum fuerit, ſe tamen probe utriuſque vocis accuratam & proprie ſumtam ſignificationem callere, quam his verbis explicat: *Urbs*, inquit, *proprie civitatem muris cinctam ac munitam, & ædes mœnibus proximas continenteſque ſignificat: at ſuburbana, id eſt vicos ab urbe remotos, proprie non ſignificat. Hoc*, ait Valeſius, *nemo neſcit*; non divinans fore ut Germonius, aut quivis alius id aliquando in dubium revocaturus eſſet.

Ceterum Pratenſem baſilicam ex iis fuiſſe, quæ Pariſiis ſitæ dici poterant, auctores non modo exteri, & in regionibus longe remotis commorantes; ſed etiam domeſtici & antiqui diſertis verbis aſſerunt. Certe Uſuardus Pratenſis monachus haud ignora-

bat loci in quo degebat ſitum. Ipſe autem eum *Pariſius* exſtitiſſe frequenter in ſuo Martyrologio indicat. Die x. Martii habet : *Pariſius depoſitio ſancti Droctovei &c.* Si vero hic auctor quia domeſticus, alicui forte ſuſpectus ſit; audiat unum pro multis Gregorium Turonenſem epiſcopum, qui baſilicam Pratenſem extra urbis pomœrium ſitam eſſe probe ſciebat, uti ipſe teſtatus eſt paſſim : & tamen libro 6. Hiſtoriæ Francorum cap. 46. de ea ipſa ſcribit, Chilpericum fuiſſe ſepultum in baſilica ſancti Vincentii, *quæ eſt Pariſius*. Ita de baſilica ſancti Petri, ita de aliis quoque urbium vicinis eccleſiis antiqui recentioreſque auctores loqui conſueverunt.

Hæc ſatis ſuperque probant Audoënum loco laudato de Baſilica Vincentiana, quam ſancti Germani nomine deſignavit,

locutum fuiſſe. Tamen ne quid intactum remaneat ; paucis agendum de eccleſia ſancti Germani, Veteris hodie vulgo dicta, quam Germonius hic à beato Audoëno memoratam fuiſſe contendit, ob id quod ea baſilica ab Aimoino *Aſceterium ſancti Germani* appellata fuerit.

Verum non id Aimoinus, ſed interpolator, Aimoino trecentis annis, ut jam ſæpe diximus, poſterior ſcripſit. At eſto, demus jam tunc exſtitiſſe in urbe ſancti Germani Veteris ædem, ſeu ut eam appellat ille auctor *arciſterium.* Fatendum tamen eſt, ipſomet obſervante & monente Germonio, oratorium quod tunc inibi exſtabat, ſancto Johanni Baptiſtæ fuiſſe conſecratum ; proindeque aliud à baſilica ſancti Germani, in qua ejus cancelli erant, & quæ illius reliquias contineret.

At

At enim, infit Germonius, haud dubito, quin etiam huic loco pars aliqua reliquiarum ſancti Antiſtitis conceſſa fuerit. cujus rei vadem affert ipſum Aimoini editorem, qui obſervat reliquias ſancti Germani, quæ in eo loco ſervabantur, capſa aurea incluſas fuiſſe ab Odone tunc comite, poſtea rege Francorum. Verum his verbis nova ſimul & vetera, ut ſæpe alias, confundit Germonius. Agitur de ſancti Germani reliquiis, quæ vivente ſancto Audoëno, id eſt ſeptimo ſæculo, in baſilica ab eo auctore memorata habebantur; & teſtem affert ſæculi duodecimi, Aimoini Interpolatorem, qui loquitur de reliquiis ſæculo nono, ut ille ipſe auctor diſerte affirmat, in illam eccleſiam illatis. Sic nempe, obſidionem urbis Pariſienſis à Sigefrido Nortmanno factam enarrans,

habet libro 5. cap. 46. hoc ipſo quod Germonius laudavit: *Tunc corpus beatiſſimi Germani in arciſterium ejuſdem ſanctiſſimi Pontificis*, id eſt, Germonio ipſo interprete, in eccleſiam hodie dictam ſancti Germani Veteris, *in civitate prædicta ſitum, à monachis delatum fuit.*

Quod vero addit idem Germonius, eas reliquias *vaſe aureo ab Odone incluſas fuiſſe*, omnino ei adverſatur. Etenim hæ reliquiæ, quas Odo poſt fugatos Nortmannos in vaſculum auro & gemmis ornatum, quod fabricari fecerat, inferri curavit; eædem ipſæ ſunt, quæ à monachis Pratenſibus ad Arciſterium ſancti Germani, uti ex Aimoini Interpolatore mox dicebamus, confugii cauſa delatæ fuerant ſæculo nono, proindeque quæ nondum ibi erant tempore ſancti Audoëni.

Ceterum ne forte ille Interpolator, qui Germonium ipſum in tantas anguſtias redegit, ſua tandem apud eum auctoritate excidat; alium ejuſdem tranſlationis, vigente Normannica perſecutione factæ, teſtem oculatum habemus Abbonem Germanenſem monachum, qui præſens aderat, quando beati Pontificis oſſa, ut in tuto ponerentur, à monachis Pratenſibus in urbem delata fuerunt. Sic enim de eo canit:

——————ſecus aulam
Scandere Germani tentant crebrius vocitati....
Hinc propriis fuerat famulis geſtatus in urbem.

Quin & eadem ipſa beati Pontificis ſacra oſſa, quæ huc delata fuerant, finito bello in capſa aurea, quam Odo fieri curaverat, incluſa fuiſſe, teſtantur hodieque verſus in iſto vaſe ſculpti,

quos Guillelmus-Epiſcopi Germanenſis abbas, quando capſam renovavit, conſervari ſategit; ubi etiam nunc viſuntur cum ipſius Odonis figura, ut mihi, omnibuſque, quicumque id voluerunt, coram inſpicere conceſſum eſt, prius quam pretioſa illa theca in loco eminentiori altaris novi ſtatueretur.

Juvat huc proferre illos verſus, qui ſacræ huic Lipſanothecæ inſculpti fuerant, ex quibus patebit, eam capſam poſt fugatos Barbaros ab Ebbolo monaſterii Germanenſis abbate, & Henrico, ac Odone comite, qui plus ceteris in urbis defenſione laboraverant, ceteris quoque ad tam pium opus ſymbolam ſuam conferentibus, fabricatam fuiſſe; non quidem ad aliquam partem, aut neſcio quas alias beati Germani reliquias recludendas, ſed ad totum ejus ſacrum corpus recipiendum.

Hic poſitum ſancti multis venerabile corpus
Germani, loculo nunc cuſtoditur in iſto.
Audeat ornatus aliquid hinc tollere nullus,
Perpetua metuit qui nonniſi morte perire.
Hunc in honore tuo loculum, Germane, rogavit
Ebbolus abba pius fieri, doniſque replevit.
Hic etiam, Henrice pater, tua dona refulgent,
Odo comes vernat, multi quoque Chriſticolarum.

His Guillelmus abbas quatuor alios verſus adjecit, cum beati Antiſtitis capſam anno MCCCCIX. renovavit.

Annis milleno quadringentis quoque nono,
Hoc opus impletum, fulgente decore repletum;

Cœpta ſequens aliàs Guillelmus Præſulis abba,
Ad decus eccleſiæ veſtiit ipſe pie.

Lectoris forte otio abuſus ſum, longius progreſſus quam par fuiſſet; at per omnia diverticula adverſarium perſequi oportuit, ut æquis rerum æſtimatoribus palam fieret, Vincentianam baſilicam ſancti Germani nomine ſæpe donatam fuiſſe ante ejuſdem ſancti tranſlationem; adeoque nihil Vandemiris chartæ auctoritati officere, quod eccleſia Pratenſis in eo inſtrumento *baſilica domni Vincentii vel domni Germani* appelletur.

Ceterum etſi apud Germonium parum valeat veterum chartarum auctoritas, viſum eſt tamen nonnullas huc proferre ex archivo Pratenſi editas, quæ iſtud monaſterium ſub prima Regum noſtrorum ſtirpe quan-

doque ſancti Vincentii ſimul & ſancti Germani titulo inſignitum fuiſſe demonſtrant. Una ex his, jam ſuperius laudata, refertur à Mabillonio in Appendice tomi 1. Annalium Benedictinorum, qua regnante Childeberto III. Lemauſenſis parthenon ſubjicitur monaſterio Pratenſi, quod in ea charta ſemel & iterum *ſancti Vincentii & ſancti Germani* appellatur. Verum cum hæc ex Chartario deſcripta ſit, ne quis dicat hunc duplicem titulum Amanuenſis liberalitati fortaſſe tribuendum eſſe; alia habetur in Appendice Sæculi 3. Benedictini parte 2. ex autographo ipſo deſcripta, qua Childebertus III. idem Lemauſenſe cœnobium *monaſthyrio ſancti Vincentii vel domni Germani* confirmavit. Denique in eodem Sæculo 3. Benedictino Mabillonius, & cum eo Boſcius in Hiſto-

ria eccleſiæ Pariſienſis, laudant inſtrumentum venditionis factæ *anno* v. *Chilperici regis*, *Baboni abbati vel omni congregationi monaſterie ſancti Vincentii vel ſancti Crucis & domni Germani*, *ubi ipſe precioſus domnus in corpore requieſcit*. Neminem puto fore adeo obſtinatum, cui tam luculenta teſtimonia non ſufficiant ad id evincendum, quod ſecundo loco mihi propoſitum erat.

I I I.

Unicum ſuper eſt, ſed palmare, uti Germonius opinatur, argumentum, quo ſolo, etſi cetera nullius eſſent roboris, Vandemiris charta ita concutitur, ut ſua debeat, ſi quam hactenus habuerit, merito excidere auctoritate. Ea de re gloriatur in altera ſua Diſceptatione, idque ita fidenter, ut quaſi haud ſatis fuerit argumentum iſtud latine

ibi veluti triumphando magnifice explicare, illud ipſum curaverit etiam gallice in Eruditorum actis ſeu diariis Pariſienſi & Trivoltienſi evulgari. Sed num triumphum, ut aiunt, ante partam victoriam intempeſtive cecinerit, videamus.

In Vandemiris, inquit, charta « præter baſilicam Pratenſem « ſancto Germano dicatam, me- « moratur item altera eccleſia « ſub *ſancti Germani* nomine « apud Pariſios exſiſtens, quæ, « interpretante ipſo Mabillo- « nio, alia non eſt ab ea, quæ « vulgo ſancti Germani Altiſio- « dorenſis hodieque appellatur. « At, ut quidem affirmat Germonius, hæc ſancti Germani « Altiſiodorenſis baſilica non- « niſi trecentis annis poſt datam « Vandemiris chartam exſtructa « eſt: ſi quidem, ut ante omnes « ex Helgaldo animadvertit «

» eruditiſſimus Adrianus Valeſius, vir de monaſteriis bene » meritus, Robertus Francorum » rex, qui ſæculi undecimi initio vivebat, primus hanc baſilicam conſtruxit. *Fecit*, inquit » Helgaldus in ejus regis Vita, » Robertus *in civitate Pariſius*.... » *monaſterium ſancti Germani Autiſiodorenſis*. Atque ut id invicte confirmet, ait ante Roberti » regis tempora, altum eſſe apud » eccleſiaſticos auctores hoc de » loco ſilentium; ita ut neque » Mabillonius ipſe in prioribus » duobus Annalium Benedictinorum tomis, aliquid præter controverſam Vandemiris » chartam, de illa baſilica protulerit.

Hæc ille contra ſimplicem Mabillonii conjecturam, non certam interpretationem, uti non recte interpretatur. Sic enim Mabillonius in notis ad

illum Vandemiris chartæ locum habet: *Cœnobium ſancti Germani .... eſt illud ipſum, ut* CONJICIMUS, *quod nunc dicitur ſancti Germani Autiſiodorenſis.* quæ conjectura etſi falſa eſſet, ut id interim permittam, ſtaret tamen inconcuſſa chartæ Vandemiris auctoritas, modo potuerit tunc exſtitiſſe præter Pratenſem alia ſancti Germani Pariſiis eccleſia. At ipſe Germonius aliam modo ſuppeditabat ſancti Germani Veteris. Fuerit ergo in iſta, aut in alia quavis ſub ſancti Germani titulo eccleſia Landebertus abbas à Vandemiri memoratus, perinde eſt ut ejus teſtamenti auctoritas ſarta-tecta habeatur.

Et tamen propoſito hoc argumento, Germonius quaſi jam de victoria ſecurus, Mabillonium à ſe proſtratum inclamat, eumque ad reſpondendum provocat, urget & proritat latine &

gallice, ut exponat, quo pacto fieri poſſe putaverit, ut donatio »facta ſit baſilicæ ſancti Ger-»mani Altiſiodorenſis trecen-»tis annis priuſquam exſtiterit »in rerum natura: & ſaltem di-»cat, quomodo Landebertus ab-»bas præeſſe potuerit ſub Theo-»derico rege loco, qui nonniſi »ſub Roberto exſtructus eſt. At quam vanus ſit ille triumphus, ſi poteſt Germonius, tandem intelligat.

1. Hadrianus Valeſius, quem pro ſe ipſo incaute laudavit, illi ipſi omnino adverſatur, diſertiſque verbis fatetur baſilicam ſancti Germani Autiſiodorenſis Pariſienſem longe ante Roberti regis principatum exſtitiſſe. 2. Auctor Roberto rege multo antiquior ejuſdem baſilicæ mentionem facit; hicque à Valeſio Boſcio & Mabillonio, aliiſque paſſim ſcriptoribus laudatus eſt.

3. Plura alia antiqua monumenta, & quidem nota, trita & vulgata, quæ proinde conſulere debuerat Germonius iſtius eccleſiæ antiquitatem impugnaturus, idem probant. 4. Neque tamen Valeſius, Boſcius, Mabillonius, aut quivis alii auctores Helgaldum falſi hac in re accuſarunt. Immo neque etiam hic Helgaldi locus Vandemiris chartæ adverſatur. Hæc omnia ſi demonſtravero, in fumum abibit totus Germonii triumphus.

Quod Valeſius baſilicam Pariſienſem ſancti Germani Autiſiodorenſis Roberto rege antiquiorem eſſe admiſerit, ipſemet declarat diſertis verbis in libro de Baſilicis Pariſienſibus, ubi cum multa de iis, quæ à Breulio & Launoio de eadem baſilica ejuſque patronis dicta fuerant, præmiſiſſet, ſic de illius antiquitate concludit: *Ut de his dicam*

quod ſentio : *Verum eſſe exiſtimo quod ait Brolius*, *beati vel ſancti Germani Teretis appellatione ab* Abbone *deſignari baſilicam ſancti Germani Autiſſiodorenſis* , TAMQUAM ANNO DCCCLXXXVI. (proindeque annis amplius centum ante Roberti regis tempus) JAM STANTEM. Et poſt nonnulla, ne forte quis voluerit ejus eccleſiæ originem ad ſæculum nonum revocare , hæc addit idem auctor : *Quis ergo baſilicam ſancti Germani condidit? dicet aliquis. Id quidem divinare non poſſumus : tantum ex Abbonis verbis intelligimus* , *à quocumque condita ſit*, EAM JAM ANNO DCCCLXXXVI. *quo Lutetia à Nortmannis obſeſſa ſit*, STETISSE. Quibus verbis Valeſius & illam baſilicam ante Roberti regis tempora ſtetiſſe agnoſcit , & idoneum rei ejus teſtem profert *Abbonem*, ſæculi noni auctorem

domeſticum, qui ea quæ coram videbat retulit.

Quin & non Valeſius modo, ſed & ipſe quoque Mabillonius illum Abbonis locum tomo 3. Annalium Benedictinorum, aliiſque in ſuis operibus laudavit. Plura item habet de eodem auctore Boſcius libro 8. Hiſtoriæ eccleſiæ Pariſienſis cap.3. ubi fuſe proſequitur hiſtoriam Pariſiacæ obſidionis per Nortmannos, aitque haud dubium eſſe, quin hæc ſancti Germani Autiſiodorenſis baſilica jam ſub *prima Regum noſtrorum dynaſtia* celebris fuerit.

Verum nihil opus eſt huc aliena congerere teſtimonia, cum præſto ſint omnibus ipſi Abbonis libri, quos ſane Germonius, priuſquam adeo aſſeveranter affirmaret *altum* eſſe de ea baſilica apud omnes ſcriptores eccleſiaſticos, Roberto rege anterio-

res *ſilentium*, conſulere debuiſſet. En aliquot Abbonis verſus ex libro I. in quibus eam eccleſiam, quam ipſe, uti veteres & domeſtica inſtrumenta vocare ſolebant, ſancti Germani Teretis appellat, à Nortmannis vallo circumdatam fuiſſe narrat.

...... Sequanæ ripas, & caſtra beatum
Germanum circa Teretem componere vallis,
Commixto lapidum cumulo glebiſque laborant.

Et poſtea libro ſecundo ait, Barbaros hac relicta baſilica Sequanam trajeciſſe, veniſſeque ad eccleſiam ſancti Germani, cujus beneficio veſcebatur, id eſt ad Pratenſem baſilicam in adverſa ripa ſtantem, cujus ipſe erat monachus.

Germani Teretis contemnunt littora ſancti,

Æqui

Æquivocique legant, cujus factis bene veſcor.

En duæ ſub ſancti Germani titulo baſilicæ, ad utramque Sequanæ ripam ſitæ prope Pariſios, quales hodieque ſubſiſtunt; Pratenſis baſilica, & ex adverſo eccleſia ſancti Germani Autiſiodorenſis, non modo à Valeſio & aliis recentioribus, ſed etiam ab antiquo & celebri auctore annorum octingentorum & amplius laudatæ. quæ ſunt duo priora meæ reſponſionis capita.

3. Sunt & alia vetera monumenta, nota & paſſim edita, quæ ſancti Germani Autiſiodorenſis eccleſiæ antiquitatem aſſerunt. In his charta Caroli regis, cognomento Calvi, nonnulla concedentis eccleſiæ ſanctæ Mariæ Pariſienſis ex conſenſu Æneæ epiſcopi, quæ erant *ſupra terram monaſterii ſancti Germani ſuburbio commorantis*, *quod à* PRISCIS

TEMPORIBUS *Autiſiodorenſis dicitur*. Integra hæc habetur apud Boſcium libro 7. Hiſtoriæ eccleſiæ Pariſienſis, *data prid. idus Julii, indictione III.* lege IX. *anno* XXII. *Caroli glorioſiſſimi regis.* Idem auctor præceptum Ludovici Pii laudat, datum anno VII. ejus Imperii, in quo *memoria*, inquit, *eſt baſilicæ ſancti Germani Autiſiodorenſis* propeParifios ſitæ.

Inter ceteras vero abbatias, quas ſub Eliſiardo epiſcopo Benedictus VII. papa, ſæculo decimo exeunte, matri eccleſiæ Pariſienſi confirmavit, recenſetur *abbatia ſancti Germani Rotundi*. quod *Rotundi* ſeu *Teretis* cognomen, ut jam obſervavimus, & ex bulla Alexandri III. aliiſque bullis & chartis conſtat, ab antiquo habuit eccleſia ſancti Germani Autiſiodorenſis. Hanc vero Benedicti bullam Sammarthani in Gallia Chriſtiana, &

Boſcius in Hiſtoria Pariſienſis eccleſiæ, integram retulerunt.

Omitto alia argumenta, quibus propugnari ſolet ejuſdem venerandæ baſilicæ antiquitas. Sane eo nonnulli proferunt veteres icones, quæ ad majorem ejus eccleſiæ portam viſuntur; & repræſentant, ſi vulgatis auctoribus fidem habeamus & receptæ opinioni, Childebertum ejuſque uxorem Ultrogottham, tamquam ejus loci conditores, juxta ſanctum Vincentium. quæ quidem ſculpturæ etſi non videantur eſſe, uti obſervarunt viri periti, tertia Regum noſtrorum ſtirpe antiquiores, teſtes tamen ſunt priſcæ traditionis, quæ jam tum quando factæ ſunt (proindeque haud longe poſt Roberti regis tempora) vigebat, hanc eccleſiam eoſdem, ac Pratenſem ſancti Germani baſilicam, conditores ac primum patro-

num-titularem habuiſſe. Et quidem haud temere forte quis exiſtimaverit, has ſtatuas, ex ea eccleſia quam ipſe Robertus rex exſtruxerat, ſervatas fuiſſe, cum nova, quæ hodie exſtat, ædificata eſt. Verum his immorari non lubet, cum ſuppetant haud dubia ejus rei momenta.

At prætermittere fas non eſt aliud multo certius ejus baſilicæ antiquitatis argumentum, quod ſcilicet in ea ſepultus fuerit beatus Landericus, Pariſiorum ſub medium ſæculi ſeptimi antiſtes. Ejus ſacræ reliquiæ ibi hodieque oſtenduntur & coluntur, à Mauricio de Soliaco, aſſiſtente Remigio decano Germanenſi, in capſam ligneam; tum in argenteam à Petro de Ordei-monte, Pariſiorum epiſcopis ſollemniter incluſæ. De quibus, ac veteribus ſchedis in ea capſa repertis, Boſcius aliique auctores paſſim

agunt. Jam vero ſi his in anguſtiis poſitus, ut aliquando viro erudito ſimili occaſione contigit, infitiari velit Germonius, Landericum umquam epiſcopum Pariſienſem exſtitiſſe; eoſdem patietur, quos iſte habuit novæ ſuæ opinationis cenſores, qui id veluti grave piaculum exhorruerunt. Habebit etiam contra ſe, ut veteres omittam, noſtræ & patrum noſtrorum ætatis viros inſignes, Hieronymum Bignonium, Jacobum Breulium, Hadrianum Valeſium, Carolum Cointium, Gerardum Boſcium, Stephanum Baluzium; ac præcipuos ſuæ ſocietatis heroas, Sirmondum, Petavium, Labbeum, Henſchenium, Papebrochium, alioſque viros eruditos; immo, quod majus eſt, ipſam totam Eccleſiam Pariſienſem, quæ beatiſſimi ſui pontificis feſtivitatem, ſicut & aliæ eccleſiæ, & vetera

Martyrologia, IV. idus Junii celebrat. quo die ea, quæ de ejus ſepultura & tranſlationibus mox retuli, in officio ſollemni legenda præſcribit, uti in ejuſdem eccleſiæ Breviario videre eſt.

Ut quid igitur, inquies, Helgaldus Robertum regem laudat ob exſtructum Pariſiis ſancti Germani Autiſiodorenſis monaſterium? Abſit ut Helgaldum falſi inſimulem; immo ejus auctoritatem hac in re, quod quartum & ultimum eſt reſponſionis meæ caput, lubens admitto.

At ſive *monaſterii* nomine ipſam baſilicam, ut paſſim ille ipſe Helgaldus, aliique ejus ævi auctores vocare ſolent, ſive ædes clericorum ipſi adjunctas, ut putat Valeſius, intellexerit; nihil obſtat quominus monaſterium ſub utraque, aut etiam ſub alterutra ſignificatione, etiamſi longe antea exſtiterit, à Roberto

rege conſtructum dici potuerit. quod nempe fatiſcentibus præ vetuſtate ædificiis, aut certe per Nortmannos, ſive alia quavis occaſione dirutis, ea de novo Rex piiſſimus exſtruxerit, aut adhuc ſubſiſtentia amplificaverit. Sic Helgaldi locum Boſcius, aliique viri eruditi intellexerunt. Nec inſolens eſt, ut quis eccleſiam conſtruxiſſe dicatur, qui veterem inſtauraverit, aut novam antiquæ ſubſtituerit. Eo modo Mauricius de Soliaco Pariſienſem matrem eccleſiam conſtruxiſſe dicitur, Fulbertus Carnotenſem, Ebbo Remenſem, Sugerius abbas Dionyſianam, & alii alias: & tamen quis infitiari audeat ante hos antiſtites Remenſem, Pariſienſem, Carnotenſem, aliaſque ejuſmodi eccleſias exſtitiſſe; aut quis chartas illis temporibus vetuſtiores, ob id ſolum falſi notaverit, aut pro

ſuſpectis habuerit, quod in ipſis mentio occurreret harum eccleſiarum?

Age, videamus annon hoc modo interpretandus ſit Helgaldus, cum ſancti Germani Autiſiodorenſis baſilicam à Roberto rege conſtructam fuiſſe ſcripſit. Certe id ex aliorum ejuſdem auctoris locorum comparatione demonſtrari poteſt. Ipſe enim idem Helgaldus eo loci, & quidem iiſdem verbis, pariter laudat Robertum regem ob conſtructa monaſteria ſancti Aniani Aurelianenſis, & ſanctæ Mariæ de Piſciaco; quæ tamen jam antea exſtitiſſe, non quivis alius, ſed ille ipſemet paullo ante declaraverat. Simili modo laudat Adelaidem reginam Roberti matrem, ob conſtructum ab ea monaſterium ſanctæ Mariæ de Argentoilo; quod nemo neſcit longe antiquius eſſe, cum

Illud Carolus Magnus filiæ ſuæ Theodradæ ante ducentos annos jam contuliſſet.

Ex his nemo non videt, quid palmare iſtud argumentum, quod ineluctabile putaverat Germonius, probet. Certe nihil omnino; nec quidquam officit Vandemiris chartæ auctoritati. Et quidem ſi aliquid adverſus baſilicæ Germanenſis antiquitatem valeret iſtud Helgaldi teſtimonium, æque probaret, ut jam vidimus, Aurelianenſem ſancti Aniani baſilicam, ut de Argentoilenſi, Piſciacenſi, aliiſque taceam, Roberti regis principatu non eſſe antiquiorem. quod ipſo atteſtante Helgaldo, conſentientibuſque omnibus, neque diffitente Germonio, abſolute falſum eſt.

Expenſis itaque, ſolutiſque argumentis univerſis, quæ Germonius contra Vandemiris char-

tam in utraque ſua Diſceptatione protulit, jam tempus eſt, ut finis tandem imponatur huic libello, qui vereor ne prolixior nonnullis videatur. Sed nullam licuit ex difficultatibus, quas adverſarius propoſuerat intactam relinquere, ut ei omnis, ſi fieri poſſit, vitilitigandi, & novas de hoc inſtrumento rixas ciendi occaſio præcludatur. Supereſt ut inſigni illi monumento ſuam reſtituat auctoritatem. quod ſi id facere renuerit, is ſaltem hujus opellæ fructus erit, quod Vandemiris chartæ ſinceritatem vindicando, nobiliſſimarum Pariſiacæ urbis & diœceſis eccleſiarum, quæ in ea memorantur, antiquitatem pro virili aſſerere tentaverim. An vero ſcopum attigerim, æqui & eruditi lectores judicabunt.

Ex hoc porro vel uno ſpecimine intelligere licet, quo loco ha-

bendæ, & quanti faciendæ ſint aliæ Germonii in Opus-diplomaticum objectiones, quas facile refellent, ſi volent, ii quorum intereſt : tametſi pleræque tam leves & minutulæ ſint, ut nihil reſponſi apud viros eruditos poſtulare videantur.

Excerptum ex Charta Vandemiris V. J. & Erchambertæ ejus uxoris, in qua major eccleſia Pariſienſis, aliæque complures, potiſſimum ejuſdem urbis & diœceſis, baſilicæ memorantur.

. . . . conferre debemus, unde in futurum veniam miſericordiae animis noſtris . . . . donamus, donatumque in perpetuo eſſe volumus ad baſilica domnae Stefanae in Pariſius, ubi domnus SIGOFRIDUS pontefex praeſſe veditur, villa cognomenante in pago Camliacenſi * cum omne merito vel agecienctas & ſoledetates ſuas, ſicut à nobis praeſente tempore eſt poſſeſſum. Simile modo donamus ad monaſterio domnae . . . . pred . . . . . ata abbatiſſa praeſſe veditur, villa cognomenante Ingolinocurti, in

* Le Chambly.

pago Camiliacenſi cum omne integritate vel merito ſuo, ſicut & nos..... vedimus. Pare modo donamus ad baſilica domnae Germanae, ubi vir venerabilis Landebertus abba praeſſe veditur, villam cognomenante Fraxineto, in pago....... vel quidquid praeſente tempore quieto ordine à nobis ibidem eſt poſſeſſum. Simile modo donamus ad baſilica domnae Vincente vel domni Germani, ubi vir venerabilis Audcharius abba praeſſe vedirur, villas cognomenantis Oxma, in pago Dorcaſſino, Noviolio in pago Andegavino, cum omne integritate &..... tutum & ad integrum, ſicut à nobis praeſente tempore eſt poſſeſſum. Pare modo donamus Vitabuniacas in pago Beloaçinſi ad baſilica domnae....... noaldus abbas praeſſe veditur tutum &c. Donamus......... venerabilis Vandremarus praeſſe veditur, villa cognomenante Gomario-villa, in pago Stampinſi, cum omne &c. Simile modo donamus ad domno Chriſtivilo * moniſtirio puellarum in Pariſius, ubi Landetrudis abbatiſſa praeſſe veditur..... Noviliaco in pago Camiliacenſi. In Dei nomine donamus Gundulfocurti in pago Camiliacenſi, Praemiaco in pago Aurelianenſi ad baſilica pretioſi domnae [Dioniſii martyris ubi] ipſi in corpore requieſcit, & venerabilis Chaeno abba praeſſe veditur, cum omne integritate &c. Ad moniſterio Aolino-villa *, ubi vir venerabilis Vigur abba praeſſe veditur, villa cognominante Villare in pago Oxminſi &c. Donamus in Dei... ad monaſterio Portmauro, ubi vir venerabilis Amalcarius abba praeſſe veditur, locello cognomenante Alticio, in

* *F. Criſtophoro, patrono Noſocom. Pariſ.*

* *Olinville.*

pago Marceracius &c. Simile modo donamus Badenaco ad Fontanellae * ad domno Petro, ubi domnus Vando in corpore requieſcit &c. Donamus ad baſilica domnae Petri, * ubi vir venerabilis . . . . cognominantis Iſpaldis in pago Vilcaſſino &c. Donamus in Dei nomine ad domno Deſiderio, ubi vir venerabilis Adroaldus abba praeſſe veditur . . . . ubi venerabilis vir Catone abba praeſſe veditur &c. Donamus in Dei nomine . . . . Priſciaco * in pago Camiliacenſi ad domno Martino in ipſo Priſciaco, ubi venerabilis vir Farulfus abba praeſſe veditur, ubi ſepulturas noſtras ibidem habemus recondetas &c.

* *S. Vvandrille.*

* *Dampierre.*

* *Precy.*

Et ut haec delibiratio noſtra &c. Unde duas epiſtolas uno tenore conſcriptas inter nos fieri & firmare convinit . . . . Pariſiaci ubi Apoſtholicus domnos & pater noſter Sigofridus praeſſe veditur, recondatur: & alia eo modo conſcripta, qui de nos pare ſuo ſuperſtetis aderat habir . . . . . . dio vixerit &c. Actum Camiliaco vico publico quod ficit minſis . . . . . . anno x v i i. rigni domni noſtri Theuderice glorioſiſſimi regis. Ego in Dei nomine Vandemiris hanc epiſtola à me facta religi & ſubſcripſi. Erchamberta ſubſcripſi. Ghranno ſubſc. &c.

FINIS.

Pag. 14. l. 7. lege *Hiſtoriae*. pag. 54. lin. pan. lege *vir*, & ult. *ſinceri*.

APPROBATION.

J'Ay lû par ordre de Monſeigneur le Chancelier le manuſcrit qui a pour titre *Eccleſia Pariſienſis vindicata adverſus R. P. Bartolomei Germon duas Diſceptationes de veteribus diplomatibus* ; & je n'y ay rien trouvé qui dût empeſcher qu'on n'accorde le Privilege pour l'impreſſion. A Paris le vingt-deux Octobre mil ſept cens ſix.

E. Renaudot.

PERMISSION DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conſeillers, les Gens tenant nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Prevoſt de Paris, Baillifs, Seneſchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Officiers & Juſticiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre bien-amé Dom T*** R*** Religieux Benedictin Nous a fait remontrer qu'il deſireroit faire imprimer & donner au public un livre intitulé *Eccleſia Pariſienſis vindicata adverſus R. P. Bartolomai Germon Diſceptationes*. Il Nous a tres-humblement fait ſupplier de luy accorder nos Lettres ſur ce neceſſaires. A ces causes voulant favorablement traiter ledit expoſant, Nous luy avons permis & octroyé, permettons & octroyons

par ces Preſentes de faire imprimer le ſuſdit livre par tel Libraire ou Imprimeur, en telle grandeur, marge, caractere & autant de fois que bon luy ſemblera durant le temps & eſpace de trois années entieres & conſecutives, à commencer du jour & date des Preſentes, & iceluy vendre & diſtribuer par tout noſtre Royaume, Païs & Terres de noſtre obéïſſance, à la charge par ledit expoſant d'en mettre d'eux exemplaires en noſtre Bibliotheque publique, un autre en noſtre Cabinet des Livres de noſtre Chaſteau du Louvre, & un en celle de noſtre treſcher & feal Chevalier le Sieur PHELYPEAUX, Comte de Pontchartrain, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres, comme auſſi de faire imprimer le ſuſdit livre en beau papier & en beaux caracteres ſuivant les Reglemens de la Librairie & Imprimerie, & que l'impreſſion en ſera faite en noſtre Royaume & non ailleurs, & de faire enregiſtrer ces Preſentes ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, le tout à peine de nullité des Preſentes, du contenu deſquelles Vous mandons & enjoignons faire joüir & uſer ledit expoſant & ſes ayant cauſes pleinement & paiſiblement, ceſſant & faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens contraires. Voulons qu'à la copie des Preſentes qui ſera imprimée au commencement ou à la fin dudit livre, foy ſoit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent de faire pour l'execution des Preſentes toutes ſignifications, déſenſes, ſaiſies & autres actes requis & ne-

ceſſaires, ſans demander autre Permiſſion: CAR tel eſt noſtre plaiſir. DONNÉ à Verſailles le vingt-unième jour de Novembre l'an de grace mil ſept cens ſix, & de noſtre Regne le ſoixante-quatriéme. Par le Roy en ſon Conſeil. Signé, BULTEAU.

*Et le Reverend Pere Dom T*** R*** a cedé & tranſporté ſon droit de Privilege à la Veuve François Muguet, ſuivant l'accord fait entre-eux.*

Regiſtré ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, page 143. numero 312. conformement aux Reglemens, & notamment à l'Arreſt du Conſeil du 13. Aouſt 1703. A Paris ce 22. jour de Novembre 1706. Signé, GUERIN, Syndic.

Les Exemplaires ont eſté fournis.

VINDICIÆ
MANUSCRIPTORUM CODICUM
A R. P. BARTHOLOMÆO GERMON impugnatorum.

Cum Appendice, in qua S. Hilarii quidam loci ab Anonymo obſcurati & depravati illuſtrantur & explicantur.

Auctore Domno PETRO COUSTANT *Preſbytero & Monacho Ordinis S. Benedicti è Congregatione S. Mauri.*

PARISIIS,
Apud Viduam FRANCISCI MUGUET Regis & Cleri Gallicani Typographi.

MDCCVI.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

PRÆFATIO. Pag. 3
CAPUT I. *Quanto in pretio eſſe debeant codices manuſcripti.* 7
CAPUT II. *De mendis quæ in manuſcriptis occurrunt.* 9
CAPUT III. *Quid opus ſit ad puriorem antiquorum auctorum editionem.* 14
CAPUT IV. *Expenditur quod ait Germonius, majorem editorum, quàm manuſcriptorum, eſſe debere auctoritatem.* 26
CAPUT V. *Utrùm lectiones, in Auguſtini editionibus quæ noviſſimam præceſſerunt exſtantes, è quàm plurimis codicibus manuſcriptis expreſſæ ſint.* 36
CAPUT VI. *Exempla à Germonio allata, ut ex antiquis codicibus quoſdam conſultò falſatos eſſe ſuadeat, conſilio ipſius parum eſſe idonea.* 44
CAPUT VII. *In noviſſima Hilarii editione non temere, ut vult Germonius, verbo* adoratur *prælatum eſſe* adoptatur. 63
CAPUT VIII. *Totum Hilarii contextum atque ſcopum* adoptatur, *non* adoratur, *poſtulare. Quod & Petavii ſententiâ confirmatur.* 68

ã

CAPUT IX. *Quò impegerint Alcuinus ac ſocii, dum vocabulis* adoptionis *aut* adoptivi hominis *quæ apud antiquos vis ineſſet, non ſatis attenderunt.* 78

CAPUT X. *Nullam veri eſſe ſimilitudinem in Hincmari relatione de loco Hilarii à Felice depravato.* 84

CAPUT XI. *Quàm iniquè Germonius Gotheſcalcum Ratramnumque ut inſignes priſcorum corruptores unius Hincmari teſtimonio traducat.* 96

CAPUT XII. *Gotheſcalcum ab Hincmaro ex mera ſuſpicione adulterati codicis inſimulatum eſſe. Germonii in hac re enarranda deſiderari ſinceritatem. Temeraria ac prorſus falſa Hincmari ſuſpicio, & Gotheſcalci integritas demonſtratur.* 104

CAPUT XIII. *Nihil eſſe cur Germonius Ratramno perfidiæ labem inferat.* 121

CAPUT XIV. *Ad ſcopum Germonii nihil pertinere, quod Hincmarus narrat factum ex occaſione loci de libro contra quinque hoſtium genera ſibi objecti.* 132

CAPUT XV. *Quàm fruſtrà Germonius contendat, locum, quem Hincmarus falſi arguit, aut incogitanter excidere, aut vitio librariorum interpolari nequiviſſe.* 139

CAPUT XVI. *Tria Germonius perperam adſtruit: primùm, verba illa* Gratias tibi vera & una Trinitas *&c.* recens *intruſa eſſe; alterum*, auctorem fraudis

Hincmaro non fuiſſe ignotum; poſtremum, quaterniones è monaſteriis ad Hincmarum allatos adulteratos *eſſe.* 150

CAPUT XVII. *Temere facere, qui verba* Gratias tibi vera & una Trinitas *&c. in librum contra quinque hoſtium genera à Gotheſcalci Ratramnive fautoribus intruſa fuiſſe ſuſpicetur. Ea eſſe primigenia ipſo Germonii argumento conficitur.* 161

CAPUT XVIII. *In controverſia, utrùm dicenda, an non dicenda eſſet trina deitas, iniquam Hincmari, juſtam Gotheſcalci exſtitiſſe cauſam.* 169

CAPUT XIX. *In eo quod ait Gotheſcalcus, propriam unicuique Trinitatis perſonæ ineſſe deitatem, nihil eſſe à veterum patrum locutione, nihil à noſtra fide abſonum.* 181

CAPUT XX. *Concluſio, qua Germonius tertium ſuum caput claudit, reformatur.* 189

CAPUT XXI. *An eorum qui novæ operum Auguſtini editioni præfuerunt, culpanda ſit ea agendi ratio, qua ſe ſe in editione libri contra quinque hoſtium genera geſſerunt.* 194

CAPUT XXII. *Quàm vanis rationibus,* operum Auguſtini codices Corbeienſes plurimos eſſe debuiſſe ſuſpectos, *Germonius contendat.* 204

CAPUT XXIII. *Quàm multa quæ ve-*

ritati atque omni probabilitati repugnent, pro certo ponere cogatur Germonius, ut bibliothecam Corbeienſem ſuſpectam faciat. Gotheſcalci aſſeclas adulterati Sermonis Flori temere arguit. 216

APPENDIX, in qua loci quidam ſancti Hilarii ab Anonymo depravati aut obſcurati illuſtrantur & explicantur.

PRÆFATIO. 239

CAPUT I. *Hilarii locum ab Anonymo, non à novis ejus editoribus, falſatum eſſe.* 243

CAPUT II. *Falsò ab Anonymo inſimulatos eſſe Benedictinos, quòd non intellexerint ac prorſus perverterint Hilarii locum, in quo nihil eos mutaſſe conſtat. Quot erroribus referti ſint Anonymi in eum locum commentarii.* 252

CAPUT III. *Vocabulo* unionis *unitatem ſingularem apud veteres intelligi: ideoque eos in Deo & unionem perſonæ reſpuere adversùs Sabellianos, & unionem naturæ admittere adversùs Paganos aut hæreticos unitatem Dei negantes.* 266

CAPUT IV. *Locum Hilarii ex libro in Conſtantium eſſe integrum, nec egere Anonymi correctione. Probabilior ejus interpretatio.* 294

CONCLUSIO *totius Operis.* 305

VINDICIÆ

VINDICIÆ

MANUSCRIPTORUM CODICUM

A R. P. Bartholomæo Germon impugnatorum.

PRÆFATIO.

COMPERTA omnibus & pervulgata res eſt, tria nondum effluxiſſe ſæcula, ex quo ars typographica inventa eſt; adeoque quotquot antiquorum, qui hoc tempus præceſſerunt, ſcripta habemus, ea nos codicibus manu exaratis accepta debere. Horum beneficio ad nos pervenerunt ſacrarum litterarum, patrum, conciliorum ac profanorum ſcriptorum monimenta. Nequit igitur codicum manuſcriptorum fides vacillare, quin vacillet ſimul omnis cùm ſacra, tum profana ſcientia; ac religioni quidquid hinc emolumenti capit, eripiatur. Quanta hæc ſint incommoda R. P. Germonius perſentiſcens, nihil non mo-

vet, quo eam à ſe amoliatur opinionem, qua veterum librorum ſinceritatem in prima diſceptatione ſua ſaltem obliquè impetiiſſe exiſtimatur. Hanc ſe vel in illo opere aliqua ſaltem ex parte prævertiſſe teſtificatur, ubi nimirum de diplomatibus non idem ac de libris judicium tulerit, immo & oſtenderit cur illa difficiliùs, hi multo faciliùs ad noſtram uſque ætatem potuerint pervenire. Reſtabat, ut & falſi ſuſpicio ab his amoveretur. Quid enim juvat ad noſtram uſque ætatem pervenire potuiſſe ſcriptorum antiquorum exempla, ſi ea ad nos integra ſinceraque tranſmiſſa eſſe incertum ſit? Id autem noviſſimo ſecundæ diſceptationis ſuæ capite præſtare aggreſſus, mox ſubnexa appendice venerandos inſignis bibliothecæ libros ſuſpectos facere nititur tam levibus momentis, ut ſi his cedendum ſit, vix ulli bibliothecæ, vix ulli antiquo codici credendum fuerit. Cui enim non facile fuerit ſimiles excogitare argutandi modos, quibus antiquorum monimentorum auctoritatem pro libitu, quoties intererit, aut elevet, aut etiam prorſus reſpuat? Hinc igitur omnia in Pyrrhoniſmum facilè

reditura. à quo cùm Germonius animum, ut decet, averſum ſignificet, gratum ei me facturum puto, ſi omnia, quæ adversùs Corbeienſem bibliothecam adducit, & quibus abuti adversùs alias alii forſitan ſubinde tentarent, quàm levia & quàm inania ſint, oſtendero. Id quidem operis invitus aggredior, non ignarus quantum Chriſtianos deceat ab omni contentione eſſe alienos. Rarum enim eſt in diſceptationibus ſervare illud vinculum pacis, quo conſtringi debemus omnes, & quo abrupto, membra Chriſti eſſe deſinimus. Spero tamen fore, ut veritas, cujus unius partes tueri animus eſt, nihil è calamo quod ipſius defenſorem dedeceat, elabi patiatur.

Appendix illa Germonii cùm opus contineat à reliqua diſceptatione diverſum, cùmque tanto pluris interſit ut refellatur, quanto pluris refert ut de veterum omnium ſcriptorum, quàm de quorumdam diplomatum ſinceritate quiſque certus ſit: nihil vetat quo minus ſeorſim expugnetur. Idoneus eſt ad quem totius diſceptationis ſumma redit, ei facere ſatis. Atque haud dubiè faceret, ſi id neceſſarium videretur, ac niſi eum aliò

evocaret publicæ ſtudium utilitatis. Hæc illum urget ſuſceptum non intermittere opus, quod totius Chriſtianæ reipublicæ intereſt ad felicem exitum quàm primùm perduci. Et ut id quidem liberiùs præſtaret, à noviſſimi operis adversùs ſe ſcripti lectione, ut pollicitus erat, hactenus abſtinuit. Vel ex hoc forſitan opuſculo ac veluti proludio quiſque convincetur, quidquid in Germonii ſcriptis fulgoris appareat, non ſemper pura veritatis luce ſplendere, ſed ſub verborum nitore multa, quæ illa reſpuat, latere; adeoque iis minùs fidendum, quæ incautis imponere primùm idonea ſunt.

Priùs autem quàm ejus dicta diſcutiantur, operæ pretium fuerit quædam de manuſcriptorum codicum pretio, mendis, uſu prælibare, quæ dicendis locum præparent, atque ad amovendam caliginem, quam rei illuſtrandæ Germonii liber offundit, lucem conferant. De hac re dicam quod experientia duce didici. Nimirum illa eſt erudita magiſtra, quæ vel rudiores multa certò docet, quò ingenioſiores pertingere per ſe non valent. Etſi igitur ingenio multùm impar, impar & eloquio, expertus

tamen cum inexperto congredi non pertimeſco. Simplicitatem ſermonis gravitas rerum ac rationum momenta, Deo dante, compenſabunt.

CAPUT I.

Quanto in pretio eſſe debeant codices manuſcripti.

NON hîc pluribus eſt edifferendum. Siquidem jam conſtat, antiquorum omnium, qui ſæculum decimum quintum præceſſerint, nullas editas eſſe lucubrationes, quæ non ex manuſcriptis exemplaribus expreſſæ ſint, æquitatis eſt hæc velut archetypa pretioſa magni facere, prudentiæ diligenter aſſervare.

Neque ii audiendi ſunt, qui ea pretio ſuo carere putant, cùm opera in illis contenta typis mandata fuerint, etiamſi omni qua fieri poteſt fide excuſa ſint. Tam diu in pretio eſſe debent, quàm diu eſſe poterit, qui de hac fide ambigere valeat. Longè minùs ſunt probandi, qui veterum ſcripta ita in publicam lucem emittunt, ut & bibliothecas ſileant è quibus illa acceperunt, & ipſa prototypa velut

jam ſuperflua ſupprimant. Omnino deſiderandum eſt, ut hæc ſtudioſè ſerventur, nec lateat ubi aſſervantur; quo valeat quiſque de quavis ſententiæ veritate, in quam fortè ſcrupulus inciderit, iis conſultis certior fieri. Sæpe etiam valet codicis antiquis characteribus exarati inſpectio, ad eximendam omnem dubitationem, num opus aliquod ejus verè ſit, cujus nomine circumfertur. At inſpici quomodo valeat, ſi ſtatim ſupprimitur; aut ita celatur, ut nullus ejus conſcius aut particeps fiat?

Contrà de republica bene merentur, qui cùm antiquorum nova paratur editio, in ea cum pluribus veteribus libris contendenda tempus & operam ſuam collocare non recuſant; etiam ſi contingat nullam fieri, quæ alicujus momenti ſit, emendationem. Hac enim diligentia dum nihil jam ſupereſſe confirmant, quod ad textûs integritatem deſideretur; & publicæ quieti gratiam impendunt, ac ſtudioſorum parcunt labori, quo eis aliàs in dubiis quibuſdam locis ad archetypa redeundum eſſet. Quanto autem major habenda illis gratia, cùm priſtinum nitorem mendis innumeris caſtigatis reſtituunt?

CAPUT II.

De mendis quæ in MSS. occurrunt.

IN codicibus manu exaratis alia ſunt menda librariorum qui archetypa exſcribebant, alia ſtudioſorum, qui cùm ſe ad hæc abſtergenda habiles crederent, nova addiderunt. Eorum autem qui archetypa exſcribebant, duo erant genera. Alii enim ſcribebant communiter quod ex ore dictantis excipiebant: alii privatim pingebant quod in archetypo ob oculos poſito legebant. Et hi quidem characterum, illi ſonorum ſimilitudine fallebantur; in his oculi, in illis aures peccabant. Utriſque, quia exſcribentium manum aut dictantis lingua, aut oculus legentis præcurrit, nonnulla interdum verba excidebant. Id etiam exſcribentibus fuit frequens,ut cùm eadem vox non longo intervallo repeteretur, eam tantùm ſemel, omiſſis quæ intercipiebantur, exprimerent. Quævis autem prætermiſſio vocabulum aliquod,quo locus reſarciendus videretur,ſubinde adjiciendi occaſionem dedit. Non-

nulli verborum ſenſibus memoriam onerantes, quod concipiebant mente, proprio ſtilo exarabant.

Plures horridam quamdam ſententiarum faciem præ orthographiæ imperitia induxerunt. Ea enim eſt plerorumque conſuetudo, ut verba calamo pingant, non quomodo legunt aut audiunt, ſed quomodo ea pronuntiare ſolent. Vidi aliquando puerulum Pariſinum Litanias per otium ex libro exſcribentem : qui licèt in libro *S. Clemens* legiſſet, pingebat tamen *S. Clemans*; quia ſic pronuntiare conſueverat.

Uſus antiquorum, quo verba diſtinguere ac ſeparare neſciebant, totum unum verſum velut unum verbum exhibentes, aliud mendorum genus invexit. Nam cùm hic mos in meliorem commutari cœpit, conjungenda disjunxerunt alii, alii disjungenda conjunxerunt.

Demum librariorum ſimplicitate factum eſt, ut marginales quædam notæ in textum ineptè transferrentur.

Nævos illos ut vitarent aut abſtergerent viri diligentiores, cum prototypo ſtudebant accurratè conferre quod ſcripſerant. Hinc frequens illa nota ad calcem librorum, *Contuli &*

emendavi. Quâ quidem notâ exemplum ſuum non cum exemplari tantùm, ſed & cum vetuſtioribus aliis codicibus aliunde mutuò acceptis ſe contendiſſe non rarò ſignificabant.

Egregium laboris ac diligentiæ hujus exemplum ſubminiſtrat Ruſticus eccleſiæ Romanæ diaconus, qui medio ſæculo ſexto florebat. Is ut antiquam Calchedonenſis concilii verſionem caſtigatiorem exhiberet, pluribus cùm græcis tum latinis codicibus conquiſitis, iiſque ſimul accuratè collatis, correxit quod viſum eſt, ac ceteras variantes lectiones, necnon & alia quæ ad rerum geſtarum illuſtrationem conducerent, ad marginem annotavit, cum hoc monito ad calcem uniuſcujuſque actionis repetito, *Contuli*, aut alio ſimili. Videlicet poſt varia monimenta quæ primam concilii partem conficiunt, legere eſt, *Ruſticus ex latinis & græcis exempl. maximè acœmit. monaſt. emendavi.* Ad calcem 1. cognitionis: *Legi, legimus completum eſt.... Finivimus emendantes & conf..... Ruſticus per gratiam Dei diaconus ſanctæ eccleſiæ Rom. contuli, annotavi, diſtinxi.* Et ſic deinceps, quod ſingillatim notare non eſt hujus loci. Ruſticiani operis exemplaria etiam-

num ſervant inſignes bibliothecæ, Boheriana, Corbeienſis &c.

Quibus verò non ſuppetebat copia librorum emendatiorum, quorum ope ſuos corrigerent, lectionem quam exiſtimabant veriorem, aut ad oram aut inter verſus inſerebant.

Cautiùs nonnulli indicio ſeu ſigno aliquo deſignabant locos, qui medica manu indigere ſibi viderentur, quibuſve reſtaurandis aliorum codicum ſubſidio opus eſſet. In bibliotheca Majoris-monaſterii exſtat ante annos 700. à docta manu deſcriptus codex, in quo è regione dubiorum aut obſcurorum locorum viſitur *R*, prima ſcil. littera verbi *requirendum*. Quorſum quæſo? niſi ut lector alios codices quærere admoneatur, & cum his qui loci ſint contendendi, ſine magno temporis diſpendio perſpicere valeat. In iiſdem locis alii *aliter* apponebant, hoc vocabulo aliter, quàm in ſuo exemplari exhibeatur, legendum eſſe admonentes.

Denique nonnulli non patientes quidquam in libris ſuis eſſe quod lectores detineret, & exemplaria à vicinis mutuò accipiebant, & cùm ex eorum collatione non ſuppeteret quod locis omnibus reſarciendis ſa-

tis eſſet, ex proprio ingenio id ſupplere conabantur.

Hinc liquet quantum à vero aberrent, qui quoties aliquid in antiquo codice ſuperſcriptum aut inſertum deprehendunt, ſtatim codicem falſatum volunt. Cùm enim hæc ab eadem manu, qua reliquus liber ſcriptus eſt, ſuperſcripta aut inſerta ſunt, in his non opus eſt falſatoris, ſed laudanda diligentia librarii, id quod errarat ex nova recognitione corrigentis. Sed neque falſatus liber dici debet, etiamſi quædam in eo ab aliena manu ſuperpoſita deprehendantur, ſi hæc collatis antiquioribus libris ex eorum fide adjecta ſint. Immo nec ii falſatores habendi, qui hæc ex proprio ingenio, ita legendum eſſe rati, bona fide ſuperſcripſerunt: quanto minus ii, qui hæc ipſa exemplaria ſubinde exſcribentes, etiam verba ſuperſcripta fideliter tranſſcripſerunt? Aliàs nec hujus nominis invidiam declinarent eruditi quique, qui conjecturas ſuas, quibus antiquorum textum corrigendum cenſent, ad propriorum librorum oram annotant: ſicut nec curioſi illi, qui, ubi hujuſmodi libros arripere eis datur, non dimittunt, donec annotata in ſuis deſcripſerint.

Non eſt tamen diſſimulandum, hos germanum auctoris ſenſum, nedum verba, non ſemper feliciter aſſecutos eſſe; ſed à vero nonnumquam aberraſſe tanto quidem periculoſiùs, quanto error difficiliùs detegitur. Nam cùm nihil animo, quod eum offendat, offerant, oblatis facile acquieſcit; nec aliud ſibi quærendum eſſe diffidit. Etſi enim verum eſt quod Hieronymus de nonnullis notariis ait, *qui dum alienos errores emendare nituntur, oſtendunt ſuos*; ita tamen lectio inducta interdum veræ eſt ſimilis, ut pro vera etiam à multis ultro per incogitantiam ſuſcipiatur.

Epiſt. 28. ad Licin.

Ex dictis non difficile eſt excogitare, quid facto opus ſit, ut veterum ſcripta primævo nitori ſuo reſtituantur: quod capite ſequenti explicandum.

CAPUT III.

Quid opus ſit ad puriorem antiquorum auctorum editionem.

PRIMÒ neceſſe eſt eum, qui hanc in ſe provinciam ſuſcipit, pluribus eſſe inſtructum antiquis codici-

bus. Cùm enim rari ſint, qui aut integri, aut à mendis ſint immunes, opus eſt ut quod in uno mancum eſt, altero ſuppleatur; quod in hoc depravatum, illo reſtauretur. Quocirca norunt qui ſcripta verſant antiquorum ex unico codice vulgata, vix ullum ex iis haberi in quæ nihil deſideretur, & ubi unum adeſt aut alterum eorumdem exemplar, amplam ex iis emendationum meſſem ſubminiſtrari.

Supervacaneum autem eſt antiquis codicibus abundare, ſi his neſciat uti qui novam editionem adornat, ſi negligenter utatur, ſi eos aut in fronte aut in præfatione vel alibi velut ad oſtentationem enumerare ſatis habens, accuratè & ex integro non contulerit, ſed ad ſummum quibuſdam in locis conſuluerit. Hinc & editiones, quæ ad plures codices manu ſcriptos recognitæ jactitantur, nihilo ut plurimum reperiuntur ſuperioribus caſtigatiores.

Hîc obſervare juvat, multitudinis hujus quamdam eſſe poſſe umbram potiùs, quàm veritatem, maximè cùm plures illi codices è vicinis tantùm locis deſumti ſunt. Vicina enim loca ſolebant aut ſimul dictatos acci-

pere codices, aut quos habebant ſingulares, ceteris mutuò communicare, quoad eos exſcripſiſſent. Hinc in exemplaribus illis nulla fere varietas, eadem vitia, menda eadem: ideoque non majorem fere facere debent auctoritatem, quàm plura unius ejuſdemque editionis exempla. Quod nolim ſine exceptione dictum, cùm non me fugiat, quibuſdam in bibliothecis aſſervari codices non è vicinis tantùm, ſed & è remotiſſimis locis advectos.

In illa multitudine, magna eſt ætatis habenda ratio. Quo enim autographo propiores ſunt, eo ſunt remotiores ab iis mendis, quæ, dum identidem exſcribuntur exempla, multiplicantur.

Nec deterrere debet in antiquis illis codicibus barbara quædam ac deformis facies & in rectam ſcribendi rationem frequens offenſio, nec in recentioribus cultior ſpecies ita placere, ut hi in omnibus præferantur. Barbara enim illa ſimplicitas tenacior eſſe ſolet ſinceritatis, quam ſequioribus ſæculis ſcripti libri non æquè intemeratam repræſentant.

Ne hîc rurſum redeat codicum quaſi conſultò falſatorum ſuſpicio. Id

ſd verò tantùm ſentiatur, iis maximè
:emporibus, quibus piæ lectiones,
litteræ ac ſtudia cœperunt excoli,
operam navaſſe induſtrios viros, ut
ibri exſcriberentur, quorum lectio
:ommodior quàm antiquorum eſſet.
Quamobrem non ſolùm ut à vulga-
ibus librariorum mendis immunes
eſſent, effecerunt: ſed ut minus eſſet
juod lectorem diſtineret, quædam
quæ ſibi corrigenda videbantur, uti
ere aliqui poſtea editores, de ſuo
:orrexerunt. In his errarunt aliquan-
lo, nulla quidem mala fide, ſed
publico bono conſultum volentes.
Ac re ipſa multis profuit eorum la-
bor, quo factum eſt ut libri faciliùs
& expeditiùs, adeoque jucundiùs
ac libentiùs legerentur.

Verùm de primigenio auctorum
enſu, immo & ſermone reſtituendo
el explorando ubi agitur, emunctæ
naris eſt hæc errata detegere ac pru-
lenter vitare, quæ tanto magis fu-
giunt oculos negligentes, quòd nihil
n eis, ut dixi, aut conſtructioni ver-
borum, aut rectæ rationi vel fidei
pertè repugnans appareat. In locis
lifficilibus maximè Lydius lapis, quo
hæc dignoſcantur, adhibendus. In his
nim ſi recentiores codices facilem

animo offerant ſententiam, quæ tamen cum ea quam vetuſtus aliquis codex exhibet componi nequeat, meritò diffidendum ne adulterata ſit lectio; neque quieſcendum, donec vera alicujus alterius ope inveniatur.

Quia tamen homines ita à natura comparati ſunt, ut laborem defugere, & quod commodum eſt ſeccari ament; mirum non eſt ſi commodiores hujuſmodi libros ſibi olim librarii exſcribendos, ac poſtmodum typographi cudendos præ ceteris delegerint. Nihilo igitur magis mirandum, ſi & in noviſſimis manuſcriptis, & in prioribus editis, tot repurganda offendas.

At verò qui editionem numeris omnibus abſolutam parat, nec labori parcere debet nec tempori. Plures & antiquos & novos codices ſibi comparet, ſinguloſque aut certè præcipuos ex toto conferat neceſſe eſt. Sed poſtquam ſingulas lectionum varietates accuratè notaverit, certum earum facere delectum hoc opus, hic labor eſt. Nonnullarum quidem tantus eſt ſplendor, ut earum veritas ſtatim comprobetur: at in ceteris opus eſt diligenti, & non præpropera conſideratione.

Quamobrem perfectè planéque imbutum eſſe oportet qui huic operi vacat, auctoris ſui doctrinâ, ingenio, ſententiis propriis, ac ſingularibus loquendi modis. Neque hoc illi deerit, qui quæ hunc delectum præcedere debent, per ſe paraverit. Toties enim auctorem ſuum verſare, legere ac relegere cogetur, ut vix fieri poſſit quin id aſſequatur. Neceſſe eſt & Patrum æqualium aut etiam ſuperiorum ſcripta, atque concilia iiſdem temporibus habita ſaltem percurrerit, quò receptam tum diſciplinam, atque uſitatos communes quoſdam loquendi ac ſentiendi modos non ignoret. His probè inſtitutus, ſicut faciliùs percipiet quæ auctori congrua, quæve aliena ſint, ita & inter manuſcriptos codices quos pervolvit atque contulit, qui ſint ſumma fide, qui minùs fideliter; qui ab accurata manu, qui a negligente deſcripti; qui etiam ex conjecturis non ſatis feliciter correcti, ideoque corrupti ſint, haud ægre diſcernet. Hi enim indocti correctores, nonnullis offenſi loquendi modis qui in deſuetudinem venerint, errata caſtigare, ac nativa auctoris ſui verba reſtituere ſe exiſtimantes, hos mu-

tare aggrediuntur : ſed non ita ſemper attentos ſe præbent, quin eos aliquando iidem fugiant; aut interdum etiam cum reliqua oratione ita connexi commixtique ſunt ſpeciales illi loquendi modi, ut ſine corruptela manifeſta mutari nequeant. Si quos igitur deprehenderit libros in illis retinendis conſtantes, ſi quos inconſtantes, hos haud dubiè infideles, illos fideles notabit: quanto vero id judicabit certiùs, ſi pro propriis locutionibus, quas alii ubique intemeratas ſervant, alii alienas & auctori inuſitatas aut etiam repugnantes ſubſtitutas habeant ? Multa ſunt & alia indicia, quibus hoc diſcrimen haud difficilè faciat; ſed ea explicare longum eſſet, & experientiâ quidem, quàm ſermone faciliùs probantur.

Qui ad variarum lectionum delectum ſic paratus acceſſerit, nullam recipiet, niſi quam & orationis poſtulat ſeries, & antiquorum codicum confirmat auctoritas. Sed neque ſtatim reſpuet quam prima fronte orationi minùs congruam vel etiam repugnantem æſtimarit, maximè ſi eam in antiquioribus codicibus, iiſque quos ſemper probaverit ſinceriores, repererit. Tunc verò opus eſt, ut

auctoris ſui dicta ex omni parte ver-
ſet atque converſet, præcedentia at-
que ſubſequentia non ſemel relegat,
omnes ſenſus, qui eis accommodari
valeant, excogitet. Qua adhibita
diligentia non raro fiet, ut quæ re-
pugnans prima ſpecie videbatur &
aliena, propria atque veriſſima eſſe
poſtmodum certò judicetur.

Ex dictis apparet, quantum fal-
luntur, qui lectionum veritatem de
codicum numero æſtimandam cen-
ſent; ita ut quemadmodum in ju-
diciis causâ cadit, cui pauciores ſuf-
fragantur; ita & reprobanda ſit lec-
tio, à qua codices ſtant numero pau-
ciores. Quis enim archetypum exem-
plar, aut ex archetypo proximè &
accuratè deſcriptum exemplum, in-
numeris aliis præferendum eſſe non
fateatur?

Ita & in illis locis, in quibus quæ
potior ſit lectio, ægre dijudicatur,
quia ex pluribus nullam orationis ſe-
ries reſpuit, quis non conſentiat eam
eſſe veram, quæ in iis codicibus exhi-
betur, qui ſolent in aliis exhibere
veriorem? In iiſdem illis locis ma-
gni facienda aliquot codicum probæ
notæ, qui aliàs in levioribus men-
dis diſcrepant, conſenſio. Hanc enim

ut plurimùm ſola veritas facit.

Ex iis etiam quæ ſuperiori in capite obſervata ſunt, nemo non videt, maximè attendendum eſſe quæ irrepere potuerint menda, ſive ex ſonorum aut characterum affinitate, ſeu ex orthographiæ aut pronuntiationis vitio, vel etiam ex ſeparatione vocabulorum quæ copulanda ſint, aut ex litterarum, ſyllabarum, vocumve, quæ ſeparandæ ſint, copulatione: hinc enim ſæpe fit, ut ex mendoſis etiam codicibus vera ac genuina lectio eruatur. Rem exemplo, quod modò præ manibus eſt, illuſtrare juverit. In epiſtola Felicis III. ad Zenonem imperatorem, à Baronio primùm ad annum 483. ex unico codice Vaticano vulgata, ac ſubinde tomo 4. conciliorum Labbei pag. 1053. inſerta, ubi Papa Imperatorem hortatur, ut Petro hæretico deturbato Johannem catholicum in Alexandrinam ſedem revocet, nunc legere eſt: *Reddite vos magiſtro diſcipulum, ſedem beati Marci evangeliſtæ ad communionem beatiſſimi Petri de vita eorum meritis devotione reducite.* In hac lectione nemo eſt qui non hæreat, atque in his, *de vita eorum meritis devotione*, mendum eſſe non ultro fateatur. Reſti-

tuatur *debita eorum meritis devotione*, ac nihil jam erit quod quis ad orationis integritatem deſideret. Ad hanc reſtitutionem tantùm opus eſt copulare ſyllabam *de*, quæ malè disjuncta fuerat; & litteram *e*, quæ cum *a* conjuncta ac repetita perperam fuerat, ſeparare atque expungere; demum litteram *b*, quam veteres, ut ex antiquis exemplaribus liquet, ad modum *v*, & viciſſim, pronuntiare ſolebant, loco litteræ *v* reſtituere.

Cavere debet & qui novam correctionem inducit, ut cum ceteris orationis partibus, quas mendis vacare perſpicuum eſt, emendatio illius cohæreat. Quapropter minimè probanda videtur cujuſdam Anonymi conjectura, ſecundùm quam apud Hieronymum ſub finem lib. 2. adverſùs Jovinian. legendum eſſet, *Si omnes qui à dextris ſunt, unum, ut vulgò dicitur, incuma ad militiam probat.* Nam cùm vocabulum *incuma* ſive *ençoma* latinum eſſe velit, illud etiam neceſſe eſt feminini generis eſſe affirmet. Quippe nullum occurrit neutrius generis vocabulum in *ma* deſinens, quod non græcum ſit, aut à græco derivatum, ut *thema*, *problema*, *lemma*, *dilemma*, *anigma*. Si quæ verò latina ſunt, *ut ſpuma*,

ſquamma,&c. etiam feminina ſunt. Jam verò feminina vox *incuma* cum præcedente *unum*, quam ex ſummo ſcriptorum editorumque codicum conſenſu mendo vacare conſtat, conſtrui componique nullatenus valet: neque tutò *una* ab Anonymo reponitur.

Denique in locis interpolatis, in quibus marginalis nota in textum tranſlata eſt, ad eumdem textum caſtigandum maximo uſui ſunt libri quantum fieri poteſt vetuſtiſſimi. Plerumque enim non mediocre intercedit temporis intervallum tum inter primos operis ſcriptores, & ſcholiaſtâs notarum hujuſmodi auctores; tum etiam inter hos, & ſimplices librarios qui notas illas in textum transferant. Ab his itaque gloſſematîs purus & immunis eſſe ſolet antiquiorum exemplarium textus.

Sed & raró cum reliqua oratione ita aptè cohærent hæc gloſſemata, ut inter variantes lectiones, quæ pura ac ſincera ſit, haud difficulter dignoſcatur. Initium v. g. cap. 5. lib. 1. Vegetii de re milit. tripliciter expreſſum invenio. Legunt nempe alii, *Proceritatem tyronum à conſule Mario ſcio ſemper exactam*; alii, *Proceritatem tyronum ad incomam* (ſeu *ad incommam*) *ſcio ſemper exa-*

ctam: demum alii, *Proceritatem tyronum quondam ſcio ſemper exactam.* Primam aiunt in unis editionibus recentioribus obtinere. Alteram tuetur Claudius Salmaſius, eamque veterum codicum auctoritate niti confirmat. Ab dem ſtat nuperæ in prædictum Hieronymi locum diſſertationis auctor. Sed ſi prima gloſſema ſapit ex margine in textum tranſlatum, idem & de hac altera facilè ſentiatur: ut nimirum ſtudioſus aliquis, cùm fortè in Iſidori gloſſario legiſſet, *Incoma menſura militum*, è regione verborum *Proceritatem tyronum* annotarit, *ad incomam*, aut hæc duo verba adverbio *quondam* ſuperſcripſerit; ex quo factum ſit, ut illius loco exſcripta deinde fuerint. Evidens tamen eſt à Vegetio ibi inſtituta, inter ea quæ priſcis temporibus, & quæ ſua ipſius ætate gerebantur, comparatio ſeu oppoſitio, quæ novum gloſſema *ad incomam*, quantumvis eruditis viris arrideat, prorſus reſpuit, poſtulatque priſtinum *quondam* revocari. Si enim legeris, *Proceritatem tyronum* QUONDAM *ſcio ſemper exactam*... *Sed* TUNC *erat amplior multitudo, & plures militiam ſequebantur armatam; necdum enim civilis pars florentiorem abduxerat juventutem*: nihil

erit quod non aptè cohæreat. Sed ſi ſuſtuleris *quondam*, jam non ſupererit ad quod *tunc* referas, totiuſque orationis nexus continuò ſolvetur. Hæc ex occaſione novæ diſſertationis in Hieronymum exempla conſultò ſelegi, quòd ad obſervationes meas illuſtrandas accommodata viderentur.

Sed de his pluſquam ſatis. Non enim abſolutum de codicum manu ſcriptorum uſu tractatum dare fuit animus, ſed tantùm quædam prælibare quæ reſponſis ad objecta Germonii viam præpararent. Ad intentum opus jam accedamus.

CAPUT IV.

Expenditur quod ait Germonius, majorem editorum, quàm manuſcriptorum, eſſe debere auctoritatem.

NIHIL in eo moror, à quo Germonius primum appendicis ſuæ caput auſpicatur: *Si Scriptorum veterum opera omnia jam edita eſſent, editioneſque ab omnibus mendis purgatæ fuiſſent vel immunes, nihil cauſæ eſſet cur de conquirendis aut conſervandis veteribus manuſcriptis exemplaribus*

Pag. 348.

admodum laboraremus. Jam enim ſuperiùs à me obſervatum, præterea eorum conſervandorum æquam & juſtam tam diu fore rationem, quàm diu eſſe potuerit, qui utrùm editiones re ipſa ab omnibus mendis purgatæ ſint vel immunes, ac de exemplarium, ex quibus ſumma fide expreſſæ ſint, ætate dubitet.

Teſtis aliquando fui, religionis vulgò reformatæ miniſtrum, cùm utrùm Auguſtinus Spiritum-ſanctum à Patre & Filio procedentem apertè docuiſſet, & quod ea de re in vulgatis legitur, ex codicibus ante motam à Græcis controverſiam ſcriptis expreſſum eſſet, ambigeret, inſpecto Corbeienſi exemplari ante id tempus exarato, dubitationem omnem poſuiſſe. Igitur verpropter hujus loci, qui certè ab omnibus mendis in editionibus immunis eſt, faciendam fidem, exemplar Corbeienſe conſervandum fuit. Quid dicam de innumeris aliis? Hanc quidem novam veterum librorum conſervandorum rationem non excogitavit Germonius: verùm æquior eſt ut eam ſit negaturus. In conſequentibus hanc ille editoribus legem imponit: *Volo, ut priùs quàm aliquid abra-* P. 353.

datur, aut immutetur, mendum eſſe conſtet.

Optimi legiſlatoris, cùm eam ſeorſim audio, intelligere mihi videor voluntatem: at cum iis, quæ poſtea carpit, ubi eam compono, jam me neſcire fateor quid velit, & utrùm ipſe ſciat, ambigo. Si enim hoc ſibi voluit, quoties aliqua lectio in priùs vulgatis obtineret, nihil novo editori ex ea aut mutare aut ſupprimere licere, niſi mendoſam illam eſſe exploratum fuerit; nihil in uno & altero noviſſimarum editionum tum Hilarii tum Auguſtini loco fuit quod reprehenderet. Utrumque tamen acriter reprehendit. Aut igitur non cogitavit quid vellet, aut utrùm id quod voluerit, in editionibus illis obſervatum eſſet, non attendit. De utroque aptiùs infrà agetur propriis ſuis locis. Ad novum argumenti genus, quod in gratiam editionum exinde majori pompa explicat, venio.

Pag. 353. *In illa*, inquit, *quæſtione facti* (ubi aliter in edito, aliter in manuſcripto codice legitur,) *utra lectio legitima ſit, utra ſpuria, exemplaria omnia ſeu edita, ſeu manuſcripta, inſtar teſtium haberi debent; cum hoc tamen diſcrimine, quòd exemplaria manuſcripta ſingula ſingulos teſtes repræſentent, editiones verò, quia vulgò prodierunt*

ad plurimorum exemplarium fidem, ſingula non ſingulos, ſed conſentientes ſibi invicem plurimos teſtes exhibeant. Quare in decidenda illa controverſia, utri codices mentem & verba auctoris fideliùs exprimant, tanto major editorum quàm manuſcriptorum auctoritas eſſe debet, quanto magis unius teſtimonio conſentientia multorum teſtimonia præponderant. Integrum retuli argumentum: ſed quàm multa in eo pro certo ponit, quæ ægerrimè probaret? quorum tamen vel uno deficiente, nihil inde conficit, immo falſum eſt quod concludit.

Primò quidem ut valeat hujuſmodi argumentum, certum eſſe debet, editionem qua de agitur, è pluribus manuſcriptis exemplaribus fuiſſe expreſſam: Quot enim veterum ſcripta habemus ex unico ſuppeditata?

2°. Ne id quidem ſatis eſt, ſi in editionis fronte aut alibi prænotetur generatim, eam ad plures antiquos codices fuiſſe recenſitam, aut etiam hi codices nominatim appellentur. Abundant quippe hujuſmodi editores, qui editionem ſuam ad plures manuſcriptos adornatam eſſe jactitent, eorumque ſeriem adtexant, quia eos in uno & altero, aut certè perpaucis locis conſuluerint. Com-

pertum igitur præterea eſſe debet, codices illos, quos recenſent, totos ab eis eſſe collatos.

3°. Tametſi Germonio exploratum eſſet, plures illos codices ab editoribus non tantùm identidem conſultos, ſed & integros collatos fuiſſe: indubitatum etiam ſit neceſſe eſt, eorum ita accuratam fuiſſe collationem, ut nec minima illos varietas fugerit. Si qua verò illos præterierit, cur non præteriiſſe putem eam de qua deliberandum eſt? Immo qui poſt eos pluribus libris accuratiùs recognoſcendis operam dant, cùm ſæpe agnoſcant vel certis indiciis, vel ipſorummet teſtimonio editorum, eos ipſos codices manuſcriptos, quibus utuntur, in illorum priùs fuiſſe poteſtate; hos tamen à ſuperioribus editionibus, quæ cum ipſis collatæ jactitantur, non rarò experiuntur eſſe diſſentientes. Hac de re non incertus, ſed expertus loquor. Quos igitur Germonius teſtes ideo putat prioribus editionibus ſuffragari, quia muti, aut potiùs non auditi fuerant; ſi in medium proferantur, loquantur, audiantur, iiſdem eos ut plurimùm refragari convincetur.

4°. Verùm eſto, primi editores plurimos codices veteres habuerint, omnes ex toto contulerint, nihil eos fugerit: res adhuc difficillima Germonio probanda incumbet, nullum ſcilicet inter illos codices diſſidium exſtitiſſe. Nam ſi variarint umquam, jam non ſunt, ſicut ponit, *teſtes conſentientes.*

5°. Alterum ex hoc ſequitur. Nempe ſi inter illos codices varietas fuit; unde habeat Germonius, primos editores id ſemper quod in pluribus, numquamque id quod in unico tantùm exſtabat, prætuliſſe?

6°. Etiamne illud aſſeverare auderet, nihil umquam eos conjecturis tribuiſſe? Quantum verò illi iis indulſerint, experientiâ eſt plus quàm ſatis exploratum. Atque utinam vel frequenti eorum hallucinatione in hoc genere ſobrii eſſe diſcant, qui antiquis nova ſua cogitata, alienaque verba commodare non verentur.

Finem numquam facerem, ſi omnia conjecturarum hujuſmodi exempla colligere liberet: unum igitur alterumve ſufficiet. Adeſt illud, quod per ſe, riſumne dicam, an indignationem moveat. Hilarius enarrans illud Pſal-

mi 134 7. *Omnia quæ voluit fecit, in cælo & in terra, in mari & abyſſis; educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit, qui producit ventos de theſauris ſuis:* quærit num hîc uni litteræ hærendum, & *an hæc tantùm perfecta in Deo voluntatis omnipotentia eſt, terras exhalare nubes, coruſcare pluviis imminentibus fulgura, alternatis ſpiritibus flare ventos?* Reſpondetque naturas generum, hoc eſt rerum ibi enuntiatarum, vimque verborum quibus enuntiantur, aliud animo ſuadere. Quod quidem ita exprimit: *Sed arguunt hanc opinionem noſtram virtutes verborum, & naturæ generum.* Lipſius verò quid hæc ſibi velint non intelligens, pro his *virtutes verborum & naturæ generum*, de ſuo poſuit, *virtutes herbarum & naturæ gemmarum.* Atque hujuſmodi tam abſurda depravatio in ſeptem ſubſequentes editiones nullo deinceps repugnante tranſlata eſt.

Alterum præterea conjecturæ non minùs ineptæ exemplum idem auctor ſuppeditat, quod mihi modò librum aperienti ſe offert. Hilarius in Pſal. 118. lit. 12. n. 7. hæc Pſalmographi verba, *Fundaſti terram, & permanebit*, primò interpretatur de hac terra noſtra; *quæ cùm fluidæ ſit aquarum naturæ ſuperjecta, & inconſtanti innatet ſubſtrata*

ſtrata elemento, ita tamen ſapientiâ & virtute & ſpiritu Dei fundata fuerit, ut permaneat. Tum terræ nomine aptè humanum corpus intelligi poſſe ſuggerit in hunc modum: *Sed mihi propheticus ſermo etiam de terra humani corporis videtur locutus, quæ ita fundata ſit, ut in ea tamquam in cælo Verbum Dei maneat.* Ac tandem, ut ad ſcopum veniamus, altiorem ſenſum ſubjicit, ut *terra permanſura* dicantur earum generationum ſeu fortunatorum hominum corpora, quæ cùm terrena ſint, cæleſti poſtmodum gloriâ ſunt donanda. *Sed ſi*, inquit, *permanſura eſt, (quo verbo ſignificatur in perpetuum manſura) earum neceſſe eſt* GENERATIONUM TERRA *fundata & manſura eſſe credenda eſt, quibus, ob veritatem Dei in his manentem, cæleſtis horum, nunc terrenorum, corporum gloria præparatur.* Rurſum Martinus Lipſius his verbis, *generationum terra*, offenſus, cùm ei primum in mentem veniſſet eorum loco *generatio non terra*, ſtatim hunc primum cogitatum ſuum, ſuppreſſis Hilarii verbis, ſuppoſuit. Nec recogitavit ſe elegantem interpretationem nullam facere, omni prorſus ſenſu deſtituere orationem, & verborum conſtructionem, cùm ſublato *generationum* vocabulo, jam non ſuperſit quò *earum, quibus* &

in his referantur, penitus deſtruere. Neque tamen tam temerarius propriarum cogitationum ſectator in ulla ſeptem prædictarum editionum emendatus fuit.

Vel hinc tandem diſcat Germonius, editiones, quamvis ad plurimorum manuſcriptorum fidem exactæ dicantur, (nam in fronte editionis prædictæ reperiet, Hilarii opera *vigilantiſſimè & ad plura exemplaria per D. Martinum Lipſium collata & recognita*,) non ideo tamen ubique plurimorum codicum lectiones repræſentare. Diſcat & exinde, primos editores ita credendos eſſe, cùm antiquorum ſcripta ad plures codices manuſcriptos à ſe recognita aiunt, ut non id de omnibus illorum ſcriptis, ſed de aliquot aſſeverent. Et certè tractatuum Hilarii in Pſalmos, quibus media illius operum pars conficitur, ut de aliis ſileam, nullum exemplar manuſcriptum Lipſio adfuit. Diſcat demum quàm temere ſibi perſuaſerit, iis in locis, in quibus aliter in edito, aliter in manuſcripto codice legitur, editum *conſentientes ſibi invicem plurimos teſtes* exhibere. Cautiùs iis in locis egerit, qui quàm diu teſtes illos ſileri animadverterit, ne unum qui-

dem ſuppetere confidat. Sanè in duobus proximè allatis, qui octo editionibus fretus, ſingulas credens *conſentientes ſibi invicem plurimos teſtes exhibere*, eos ſequeretur, umbratiles ac falſos teſtes ſequi convinceretur.

7°. Neque illud ſemper & abſolutè Germonio concedendum; ut cùm quis tres quatuorve codices manuſcriptos conſentientes habet, hi unius præponderare debeant auctoritati. Si enim quatuor illi ſimul & eodem tempore dictati ſint, aut ex ſeſe invicem proximè deſcripti, uti vicinis in locis uſitatum eſſe jam diximus, non major ex eorum numero auctoritas accedet, quàm ex multitudine variorum unius ejuſdemque editionis exemplorum.

Deinde ſi hoc unum, quod à pluribus diſcrepare ponitur, archetypum ſit, ſi ita vetuſtum & accuratum, ut ex archetypo proximè deſcriptum eſſe probabiliter credatur, ſi denique ceteris in locis ſumma ejus fides probata eſt: cur non aliorum quamvis plurium numero, præferatur ejus auctoritas? Neque hîc repetendum, quod ſuperiùs jam obſervatum eſt, contra quàm Germonius ſentire videtur, lectionum veritatem non

ſemper ex codicum, in quibus præfertur, numero æſtimandam eſſe.

8°. Fallitur & in eo Germonius, quo vult ut *exemplaria manuſcripta ſingula ſingulos* (tantùm) *teſtes repræſentent.* Antiquis enim id etiam ſtudii fuiſſe, ut exemplaria ſua ad aliorum vetuſtiorum fidem recognoſcerent atque corrigerent, item ſuperiùs eſt probatum, & Ruſtici diaconi exemplo luculenter confirmatum. Ita undique nutat & vacillat, quod ille velut dicendorum fundamentum poſuit. Exinde ad aſſertorum confirmationem proponit editionum Auguſtini exemplum. Utrùm in exemplo, quàm in aſſertis certior ac verior ſit ipſius ſententia, videamus.

CAPUT V.

Utrùm lectiones, in Auguſtini editionibus quæ noviſſimam præceſſerunt exſtantes, è quàmplurimis codicibus manuſcriptis expreſſæ ſint.

PLURIMÙM venditat Germonius Johannis Amerbachii, qui primus opera Auguſtini in unum col-

legit ac in lucem emiſit, editionem. Atque his unis Eraſmi in epiſtola ad Alphonſum Fonſecam nixus verbis: *Amerbachium nec ſumptus immenſi, nec in conquirendis undecumque exemplaribus inſtantia, nec in conferendis tædium, nec operis difficultas, nec diſtractionis, nec ulla res alia deterruit, quo minùs totum Auguſtinum redderet omnibus communem:* his, inquam unis verbis fretus dicere non dubitat: *Quæ cùm ita ſint, manifeſtum eſt, vel ſolam Johannis Amerbachii editionem aliquo modo inſtar eſſe illorum omnium manuſcriptorum, quos in Germania, Gallia, & Italia conſuli ac inter ſe conferri priùs voluit, quàm Auguſtinum ederet.* Verùm ab his dicendis, credo, abſterritus fuiſſet, ſi hanc editionem non dico accuratè recognoſcere, ſed & curſim oculis perluſtrare libuiſſet. At placuit unâ Eraſmi epiſtolâ ad Fonſecam ſtare: & hanc igitur adeamus. Pag. 355.

Non crediderim eam à Germonio per ſe lectam. Aliàs in eadem legere debuit, nec diſſimulare quæ Eraſmus cùm de Amerbachio, tum de iis qui editionem illius curarunt proximè ſubjicit: de Amerbachio quidem, *Atque in Auguſtino quidem tantum adhibitum eſt ab illo curæ, ſtudii, vigilantiæ, quantum illa ferebat ætas, ſtudior adhuc, & per-*

paucos habens in hoc genere litterarum exercitatos: de iis autem qui editionem curarunt, *Illos verò quis abſolvat à ſacrilegii crimine, qui nec errore, nec ulla neceſſitate, ſed inepta libidine, ſtudio mutarunt hujus viri ſcripta?* Et poſt pauca: *Vix umquam occurrebant duo verſus, quin eſſet quod jugularet tranſverſus calamus. Hic non erat error, ſed impius ludus hominis malè feriati.* Quocirca non ſuccenſeat Germonius, ſi cùm quis Amerbachii editionem à vetuſto codice diſcrepare viderit, eam non ducat *inſtar illorum omnium manuſcriptorum, quos in Germania, Gallia & Italia conſuli ac inter ſe conferri voluit*; ſed hanc ejus diſcrepantiam potiùs eſſe ſuſpicetur *ludum hominis malè feriati.*

Quid igitur ſibi volunt ſuperiùs memoratæ Amerbrachii laudes? Id oſtendere etſi non eſt meum, cui ſufficit probaſſe Amerbachii editionem, nedum quàm plurium, perſæpe nec unius manuſcripti lectiones repræſentare; hoc tamen in me recipere non detrecto. Cùm nulla ſit bibliotheca tam manuſcriptis opulenta, quæ omnia Auguſtini opera complectatur, multæ fuerunt peragrandæ regiones, plures luſtrandæ bibliothecæ, innumeri propè codices tractandi ac verſandi ad generalem eo-

rum collectionem adornandam, quam Amerbachius edere meditabatur. Ac fieri quidem potuit, probabiliterque ita factum eſt, ut qui ad hoc ab eo eſt deſtinatus, ubi aliquod novum opus unde accreſceret collectio nactus eſſet, ſtatim illud exſcriberet, exemploque cum exemplari collato ad alia tranſiret; nec multùm in conquirendis & conferendis novis eorum operum, quæ jam deſcripta habebat, exemplis laboraret. Aliàs nec tanto labori ſuffeciſſet unus homo, & quantumvis conſtans ac patiens Amerbachius ejus tædium non tuliſſet.

Germonio itaque, *An Amerbachius unum aut alterum codicem manuſcriptum conſuluerit*, roganti, ac ſtatim neganti, facilis eſt reſponſio. Ludit quippe in æquivoco. Si enim de toto operis illius corpore ei ſermo eſt, aſſentiendum eſt illud niſi priùs conſultis quàm pluribus manuſcriptis, componi nequaquam potuiſſe. At ſi de ſingulis operibus loquitur, unumquodque opus vel ad unum codicem, præter eum ex quo deſcriptum eſt, recognitum eſſe ægerrimè perſuadebit. *Pag. 354.*

Rem grandem Amerbachius tum

præſtare videbatur, cùm curavit omnia Auguſtini opera conquirere, detecta exſcribere, exſcripta cum exemplari primùm, ac deinde cum exemplis ea quæ è prelo exibant conferre. Nihil præterea requiritur ad comprobandam laudum, quibus eum Eraſmus exornat, veritatem. Id verò quod adjungit Eraſmus, nedum id omne quod in ea editione exſtat, quàm plurimorum manuſcriptorum inſtar haberi debere perſuadeat, vel unius antiqui codicis vicem ſupplere nemo certus ſit, propter nimiam eorum, qui illi editioni præfuerunt, in mutandis pro nutu ſancti Doctoris verbis licentiam.

Poſtquam Germonius exaggeravit ut voluit manuſcriptorum, quibus Amerbachius uſus eſt, multitudinem, rurſum novam quamdam Eraſmo acceſſiſſe volens, de eo ſubdit: *Eraſmus ipſe, qui ſecundis totius Auguſtini typis præfuit, teſtatur ex vetuſtis exemplaribus à ſe caſtigatum diligentiſſimè Auguſtinum.* Pag. 355.

Num putat Eraſmo in unumquodque Auguſtini opus manuſcriptorum, quos ille diligenter excuſſerit, multitudinem adfuiſſe? Si id credit, ſanè falsò credit. Non enim ſinit ingens numerus cùm editionum, tum

propriorum operum, quæ ſub hujus auctoris nomine circumferuntur, ad tot codices conferendos reliquum tempus fuiſſe aſſentiamus.

Sed & ipſe Eraſmus in memorata epiſtola ad Fonſecam archiepiſcopum Toletanum quantumvis operam ſuam venditet, ingenuè tamen fatetur, ſe ſibi non audere polliceri, *nihil reſediſſe quod emend.tore egeat.* Cur verò id ſibi polliceri non audeat, unam & alteram reddit rationem, quas Germonius ſi legit, diſſimulare ac ſilentio premere non debuit; primam quidem, *Alicubi nos deſtituerunt vetuſti codices;* alteram verò, *Aliquando in opere tam prolixo ſomnus obrepſit:* hoc eſt manuſcriptis modò ſe deſtitutum, modò negligenter uſum eſſe. Ac ne ubi eum non deſtituerunt, plures adfuiſſe exiſtimemus, ad totum laborem ſuum commendandum, unum proponit ſpecimen id quod præſtitit in libros de Trinitate, quos quidem non ad plures manuſcriptos, ſed ad unicum è quodam Flandriæ monaſterio, cujus nomen è memoria jam exciderat, ſibi præſtitum, emendatos eſſe declarat. *Hoc flagitium*, inquit, *cùm aliàs, tum præcipuè deprehendimus in libris de Trinitate. Deprehendimus autem ex*

collatione codicis quem nobis præbuit Flandriæ monaſterium, cujus nomen in præſentia non occurrit. Sileo quod & ille non tacuit, ſibi cum officina, in qua nova editio ſua excuſa eſt, *nihil commercii* fuiſſe, adeoque & multa *operarum incuriâ* peccari potuiſſe. Demum in fronte editionis ab eodem adornatæ id unum legi obſervo: *D. Aurelii Auguſtini Hipponenſis epiſcopi, omnium operum primus tomus, ſummâ vigilantiâ repurgatorum à mendis innumeris per Des. Eraſmum Roterodamum, ut optimo jure tantus Eccleſiæ doctor renatus videri poſſit.* Quo ex titulo duo contra Germonium conficiuntur, primum, non tanti faciendam eſſe, quanti vult, Amerbachii editionem, ut in qua Auguſtinus ſepultus potiùs viſus ſit, quàm natus: alterum, etiam in magnifico titulo nullam manuſcriptorum factam eſſe mentionem.

Si quos autem Eraſmus è Flandriæ monaſterio accepit, cùm ii ipſi poſtea in Lovanienſium poteſtatem venerint, ſequitur ut imaginaria illa codicum manuſcriptorum caterva, qua Germonius fucum facere conatur, ad unos illos ut plurimùm redacta ſit, quos Lovanienſes Theologi recenſuerint.

Florentii Bourgoini exinde lau-

dat Germonius operam ex ſolo editionis illius titulo. Hæc tamen Bourgoini editio Pariſienſis anni 1541. ab Eraſmiana Baſileenſi anni 1528. nihil maximam partem diſcrepat. Si quid verò in illa emendatum, hoc factum ſubſidio veterum Victorinæ bibliothecæ codicum: quos quidem quia ſedulò excuſſerunt noviſſimi operum Auguſtini editores, ideo ab hujus editionis commemoratione in notis, quibus varias editorum & ſcriptorum codicum lectiones indicant, ſibi abſtinendum duxerunt.

De Lovanienſium editione, ad quot manuſcriptos recognita ſit, nihil laborandum: cùm & quos conſuluerint, & quid in illis varietatum repererint, diligenter annotent. At de ceteris, qui editionem ſuam tantùm generatim ad plura exemplaria manuſcripta exactam eſſe dicunt; non facilè credendum, omnia hujuſmodi editionis verba pluribus manuſcriptis re vera eſſe conſentanea. Id quod non ideo dico, ut editiones illæ negligantur; ſed ne eis plus æquo credatur. Et hæc quidem de primo Germonii capite: ad ſecundum jam tranſeamus.

CAPUT VI.

Exempla à Germonio allata, ut ex antiquis codicibus quoſdam conſultò falſatos eſſe ſuadeat, conſilio ipſius parum eſſe idonea.

TITULUS à Germonio in fronte capitis ſecundi præfixus, nihil in ſpeciem habet quod negandum videatur. Ultro enim aſſentiendum ei, *manuſcriptos codices non ſine cautione aliqua & prævio examine eſſe recipiendos.* Fortaſſe etiam ille numquam ſatis recogitavit, quanti ſit & laboris & temporis hoc examen, quo inter plurimas plurimorum codicum variantes lectiones, veræ fiat æquus ac juſtus delectus.

At ab ipſis ejuſdem capitis initiis prodit, ſe non eam exigere cautionem, qua mendoſæ lectiones quæ librariis excidere ſolent, à non mendoſis hujuſmodi ſecernantur; ſed eam potiùs, qua codices conſultò falſati dignoſcantur ac proſcribantur.

Enimvero pro certo ponit, non ſolùm frequentia eſſe menda, quæ

per librariorum inſcitiam negligentiamve irrepunt, ſed & eſſe *nonnulla malitioſè atque conſultò à falſatoribus in libros invecta & interpoſita.* Atque ut hoc poſtremum probet, ea ſufficere credit exempla, quibus Hincmarus libro de non trina deitate confirmare conatur, identidem exſtitiſſe hæreticos, qui catholicos depravarent libros, aut eorum dicta truncarent. Hincmari locum paucis ac ſummatim exhibere primùm libebat, neque erat operoſum: ſed ut ipſam et illius verba repræſententur, quæ dicenda ſunt videntur poſtulare. Illa igitur hîc exſcribere placet. *Pag. 358. & 359.*

Contendens hic præſul librum contra quinque hoſtium genera, olim adſcriptum Auguſtino, adulteratum atque falſatum eſſe, ad ſententiæ ſuæ confirmationem ſubjicit: Sicut in « quinta Synodo ex Catholicorum li- « bris quædam teſtimonia ab hæreticis « ad ſuam confirmandam pravitatem « detruncata, & quædam falſa catho- « licis Catholicorum verbis interpo- « ſita fuiſſe vigilantia Catholicorum « detexit. Sic enim deprehenſum Ma- « carium Antiochenum epiſcopum in « ſexta ſynodo legimus. Sic Donatus, « ut Auguſtinus in libro Retractatio- « *Hincm. to. 1. p. 464.*

Aug. l. 1. Retr. c. 21. n. 3. » num dicit, de ſententia, *Qui baptizat*
» (leg. *baptizatur*) *à mortuo, & iterum tan-*
» *git illum, quid proficit lavatio ejus*, ad ſuam
» confirmandam hæreſim, *& iterum tan-*
Eccli. 34 30. » *git illum* ſubtraxit. Et Ariani de Evan-
» gelio eraſerunt quod Salvator ait,
Joan. 4 24. » *Quia Deus ſpiritus eſt* : nolebant enim
» credere, quòd Spiritus-ſanctus Deus
» eſſet omnipotens. Sic & illi qui ex
» Deo non erant, & pravo dogmate
» ſeparare volebant ab hominis diſpen-
» ſatione divinitatem Chriſti, verſicu-
1. Joh. 4. 3. » lum quo dicitur, *Et omnis ſpiritus qui*
» *ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt*, ex epiſtola
» Johannis eraſerunt, ne per auctori-
» tatem ejus convincerentur erroris.
» Denique Neſtorius neſcire ſe pro-
» didit hanc authenticis exemplaribus
» inditam fuiſſe ſententiam....... Et
» Felix Orgellitanæ quondam civita-
» tis epiſcopus infelix in libro beati
» Hilarii, ubi idem ſanctus dixerat,
» *carnis humilitas adoratur*, tempore Caroli
» Magni Imperatoris, quoſcumque
» hinc codices arripere potuit, in om-
» nibus adulteravit, *carnis humilitas adop-*
» *tatur*.

» Hæc Hincmari verba ubi exſcripſit
» Germonius, ea ſe ideo retuliſſe de-
Pag. 362. » clarat, *ut lectori minùs mirum videretur, quoſdam Auguſtini tractatus nono ſæculo ab*

improbis hominibus fuiſſe adulteratos, poſtquam cognoverit Arianos, Donatum, Neſtorium, Theodorum, Macarium Antiochenum, Felicem Orgellitanum atque alios, ſimilis antea perfidia fuiſſe. Sic ille paulatim procedit, quò non modò veteres ſanctorum patrum, ſed & longè magis ſacrarum paginarum codices ſuſpectos faciat; adeoque Pyrrhoniſmum, quantumvis ab eo abhorrere ſe reclamet, in religionem vel nolens invehat. Sed quibus quæſo argumentis?

Etiamſi daretur, Donatum è Scripturis eraſiſſe, *& iterum tangit illum;* Arianos, *Quia Deus ſpiritus eſt;* Neſtorium, *Et omnis qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt;* Felicem Urgellitanum unum in Hilario verbum mutaſſe, ac Theodorum & Macarium ſimilia neſcio qua peccaſſe: prudentiſne eſſet, cùm innumera ab Eccleſia naſcente ad Hincmarum exſtitiſſent hominum millia, propter quatuor aut quinque hæreticos, qui perpaucas voculas ſuppreſſiſſent aut depravaſſent, mundun adulteratoribus librorum ſemper refertum fuiſſe credere; eorumque timere fidei codicum, quos majores noſtri ſummo nobis ſtudio tranſmiſerunt? Inanis profectò eſſet iſte timor.

Deinde Hincmarus, qui Germonio ubique ſacrorum auctorum, qui Spiritus-ſancti ſubſidio falli neſciunt, loco haberi videtur, cujus ille unius judicio ſtat, ejus unius, ad omnia quæ ſibi in appendice probanda proponit, teſtimonio contentus; ille, inquam, Hincmarus non ita aliis eruditis viris ſemper accuratus cenſetur, ut ejus omnia dicta ſine ullo examine accipienda eſſe cenſeant. Sicubi autem hæc cautio neceſſaria, maximè in allato loco, ubi propriæ cauſæ ſtudio irretitus & impeditus videtur. Trinam deitatem cùm dici nollet, apertis teſtimoniis ab adverſariis ſimul & ab amicis ſe impeti cernebat. In medium adducebat Gotheſcalcus edictum Conſtantini Imperatoris in concilio ſexto generali recitatum, quo *trina & conglorificanda deitas* prædicatur. Objiciebat & ei ipſi amicus ac familiaris librum contra quinque hoſtium genera, in quo *trina & una veritas* cum digna gratiarum actione commemoratur. Adversùs teſtimonia tam clara tamque perſpicua nullus ei erat perfugii locus, niſi monimenta, ex quibus excerpta erant, falſata & adulterata diceret. Dixit: & ut dicto fidem faceret, omnia

omnia illa exempla in unum collegit, quibus librorum adulterationem nec rem novam eſſe nec inauditam ſuaderet. Solâ igitur philautiâ, ſolâ cauſæ, quam, ut ſuo loco oſtendam, temere ſuſceperat, atque iniquiùs defenſitabat, neceſſitate conſtrictus, varia illa exempla undequaque conquiſivit, eorumque numerum quantum potuit auxit. Quia verò vel oculati quique in propria cauſa cæci eſſe ſolent, Germonii erat ſingula ad trutinam revocare, ac nulla in medio ponere, niſi quæ vera ac dignâ auctoritate fulta priùs probaſſet. Et quidem locus Auguſtini ex libro Retractationum ab Hincmaro citatus ipſum invitabat, necnon ab eo poſcebat accurati ſcriptoris munus, ut ipſum librum Retractationum adiret, atque cum dictis Auguſtini dicta Hincmari contenderet. Quod ſi præſtitiſſet, obſtupuiſſet ſanè, ſcriptorem, quem velut ducem falli neſcium ubique ſequitur, tam turpiter hallucinatum eſſe, ut nihil magis oppoſitum excogitari poſſit, quàm quæ Auguſtinus de Donato in libro Retractationum dicit, & quæ Hincmarus eumdem ſanctum Doctorem in eodem libro de eodem hæretico

dixiſſe aſſerit. Dicit enim illic Auguſtinus Donatum ſuppreſſionis verborum, *Et iterum tangit illum*, auctorem non eſſe: idque auctoritate approbat veterum codicum Africanorum, in quibus etiam antequam ulla eſſet pars Donati, jam prædicta verba non exſtabant. Contrà Hincmarus, ut ſuprà legimus, velut auctore Auguſtino affirmat, Donatum ad ſuam confirmandam hæreſim *& iterum tangit illum* ſubtraxiſſe. Sed ut audivimus Hincmarum, ita & audire placet Auguſtinum. Sic ille lib. 1. Retract. „ c. 21. n. 3. loquitur: Nec de libro „ Eccleſiaſtici ipſe (Donatus) abſtulit „ de media ſententia verba ad rem neceſſaria, ubi cùm ſcriptum ſit, *Qui* „ *baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum,* „ *quid proficit lavatio ejus*, iſte ſic poſuit, „ tamquam ſcriptum eſſet, *Qui baptiza-* „ *tur à mortuo, quid proficit lavatio ejus?* „ Nos autem & antequam eſſet pars „ Donati, ſic habuiſſe codices plurimos, verumtamen Afros, ut non „ eſſet in medio, *& iterum tangit illum*, „ poſtea didicimus. Quod ſi tunc ſciſſem, non in iſtum tamquam in furem divini eloquii vel violatorem „ tanta dixiſſem.

Notandum obiter, quî Auguſtinus,

poſtquam plurimos codices *& iterum tangit illum* non habuiſſe docuit, clauſulam ſtatim ſubjungit, *verumtamen Afros*; ut cùm infrà dixero, minimè mirum videri aut inſuetum, ſi in plurimis codicibus non ex ampla regione, qualis eſt Africa, ſed ex vicinis & propinquis locis ab Hincmaro conquiſitis eadem ſententia prætermiſſa ſit, nihil novum dicere videar.

In Donati autem exemplo, quod Hinçmarus velut Auguſtino auctore protulerat, ſe manifeſtè deceptum cùm expertus eſſet Germonius, cetera quæ idem præſul ſine teſte, ſine auctore adjungit, meritò in dubium revocaſſet. Maximè verò quod de Arianis aſſerit, eos de Johannis Evangelio Chriſti verba, *Quia Deus Spiritus eſt*, eraſiſſe, quòd Spiritum-ſanctum Deum eſſe omnipotentem nolebant credere, vix ullam apud cordatos fidem habebit. Primò enim quamvis Ariani ſolum Patrem eſſe vellent verum ac ſummum Deum, adeoque Spiritum-ſanctum Deum omnipotentem negarent; in id tamen toti incumbebant, ut Patris æqualitatem Filio eriperent. Omnes eorum conatus, diſputationes omnes adversùs unum Filium erant intentæ, ac de

Spiritu-ſancto vix cogitabant. Deinde ſi etiam in id intendiſſent, ut Spiritum-ſanctum Deum negantes, loca Catholicis ſubriperent quibus aſſeritur Deus; quid illis proderat eum cum perfidiæ nota eradere & ſupprimere locum, qui ſibi nocere, aut Catholicos juvare nihil poſſet? Horum enim verborum, *Quia Deus ſpiritus eſt*, non is eſt nativus & obvius ſignificatus, Spiritum-ſanctum eſſe Deum; ſed is potiùs, Deum natura ſpiritali, non corporeâ eſſe præditum. Unde præclarè Hilarius in pſal. 129. n. 3. *Intelligendum eſt Deum incorporalem eſſe, neque ex partibus quibuſdam atque officiis membrorum, ex quibus unum corpus efficitur, conſiſtere. Legimus enim in Evangelio, Quoniam enim Deus ſpiritus eſt, inviſibilis ſcilicet & immenſa, atque intra ſe manens & æterna natura:* atque hunc intellectum cum præcedenti Chriſti ſermone aptè cohærere lib. 2. de Trin. n. 31. luculenter approbat. Cùm igitur hæc verba Arianorum hæreſi per ſe nihil officerent; quid erat cur ea ex Evangelio ſubtrahere molirentur?

Re ipſa qui contra ipſos ſcripſerunt, Athanaſius, Hilarius aliique Eccleſiæ patres, ſuppreſſionem hu-

juſmodi nuſquam ipſis exprobrarunt. Quin immo Hilarius, hac in re Hincmaro longè majori fide ſine controverſia dignus, locuples teſtis eſt, Arianos hæc ipſa verba, *Quia Deus ſpiritus eſt*, in expoſitione fidei ſuæ adhibuiſſe. Quippe ſanctus ille Doctor perverſam illorum fidem refutaturus lib. 4. n. 7. præmittit: *Videntur enim ſibi de ſingulis quæ aſſerunt præſtare rationem, quia ſingulis aſſertionibus ſuis quædam teſtimonia* (ex Scripturis) *ſubdiderunt, quæ corrupto intelligentiæ ſenſu ſolis tantùm ignorantibus blandiuntur.* Tum inter teſtimonia illa, quibus quæ conveniunt naturæ divinæ, uni Patri aſſerunt, & illud num. 8. refert, cujus auctoritate volunt Patrem eſſe incorporeum: *Hunc quoque incorporeum: quia dictum ſit, Spiritus enim Deus eſt, & adorantes eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* En verba Chriſti, quæ Germonius ſecundùm Hincmarum ab Arianis ex Evangelio Johannis ſuppreſſa dicit, ab ipſiſmet Arianis expreſsè laudata. Et hoc igitur alterum exemplum ex utriuſque catalogo expungendum eſt: utrùm verò in tertio feliciores fuerint, inſpiciamus.

Contendunt Neſtorium ex epiſtola Johannis ſubtraxiſſe, *Et omnis ſpiritus*

qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt. At ut rei veritatem perſpiciam, Cyrillum Alexandrinum epiſcopum, Cæleſtinum papam, Leonem, Marium Mercatorem, ipſumque concilium Epheſinum, in quo Neſtorii cauſa acta eſt, conſulo atque pervolvo; & cùm nihil hujuſmodi deprehendam, nemo mihi ſuccenſeat, ſi qui jam ſemel ac ſecundò falſi ſunt, etiam tertiò falſos eſſe ſuſpicatus fuero. Suſpicionem auget Cyrillus, qui quidquid contra fidem peccarat Neſtorius, probè noverat, nec is erat qui delictum hujuſmodi diſſimularet. Is porro egregius fidei aſſertor in libro de fide ad Imperatorem n. 9. de Neſtorianis hæc habet: *Hujuſmodi nugatores exorituros dilectus Salvatoris noſtri diſcipulus nos antè præmonuit. Quoniam, inquit, multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei. Omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt.* Hic locus erat memorandi, Neſtorium hæc, ne ſibi aptarentur, è ſacris paginis callidè ſubtraxiſſe. Contrà ea Cyrillus profert, ut quæ ab omnibus recepta, à nemine controverterentur.

1. parte concil. Epheſ. c. 3. pag. 58.

Rurſum idem Cyrillus in alio li- *Ibid.*

bro de fide ad reginas hunc locum *c.* 4.
Johannis velut ab omnibus atque ab *pag.*
ipſo Neſtorio receptum ponit, cùm 179.
prælocutus, *Omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt; & hic eſt antichriſtus,* ſubinfert: *Quiſquis igitur Chriſtum, divinitatem illius inficiatus dividit, ejuſdemque gloriam & majeſtatem diminuit, hic antichriſti ſpiritum hauſiſſe apertè convincitur.* Non ſic ille concluderet, niſi de Scripturis communibus & quæ à nemine repudiarentur, aut niſi eos qui illas repudiarent refutaſſet. Fatendum tamen eſt, Hincmarum Socratis verbis l. 7. c. 32. niti. Sed de tertio hoc exemplo ſatis: quartum jam expendamus.

Ait Hincmarus, quædam è Catholicorum libris teſtimonia ab hæreticis ad confirmandam pravitatem ſuam detruncata, & quædam ab iiſdem falſa catholicis Catholicorum verbis interpoſita fuiſſe, quæ Catholicorum vigilantia in quinta Synodo detexerit. Quod ut exploratum haberetur, notandum fuerat, quænam illa ſint Catholicorum teſtimonia aut truncata, aut interpolata; qui hæretici harum detruncationum ſeu interpolationum opifices; in quo quintæ ſynodi loco id ſit obſervatum. Horum hæreticorum nomine

Germonius *Theodorum*, haud dubiè Mopſueſtenum epiſcopum, intelligit; ſed gratum feciſſet, ſi quo in loco quintæ ſynodi ille Catholicorum dicta truncaſſe atque interpolaſſe dicatur indicaſſet. Vehementer quidem in dicto concilio V. coll. 8. pag. 564. Diodorus archidiaconus & primicerius notariorum in Theodorum Mopſueſtenum invehitur: ſed nec in tota illius oratione, nec alibi uſpiam quidquam ei ſimile exprobrâtum invenio.

Verùm etiamſi concedatur id omne verum eſſe, quod de concilio V. Hincmarus affirmat; nihil habebit Germonius quod conſilio ſuo faveat. Non enim ille dicit convictos eſſe in quinta ſynodo hæreticos, quòd Catholicorum libros adulteraverint atque falſaverint; ſed tantùm quòd excerpta ex Catholicorum libris teſtimonia aut truncarint, aut interpolarint. Quapropter hoc exemplum prodeſſe Germonio nihil poteſt, qui codicum adulteratores quærit, ac niſi inveniat, cogitata perficere non valet. At nedum inveniat novos, ſenſim dilabuntur ipſi, quos in Hincmaro ſine multo labore ſe inveniſſe gaudebat.

Monendus hîc videtur, ut corrigat quod velut ex Hincmaro in medio ſic ponit : *Iſtud autem ex citato Hincmari loco intelligere poſſumus, hæreticos tribus potiſſimum modis eccleſiaſtica monumenta depravare ſolitos fuiſſe. Aliquando catholicis Catholicorum verbis falſa quædam interponebant, ut feciſſe Theodorum alioſque heterodoxos in quinta, & Macarium Antiochenum in ſexta ſynodo detectum eſt.* Si enim *eccleſiaſtica monumenta*, ut pro ſuo conſilio debet, ipſos intelligat libros quibus eccleſiaſtica ſcripta continentur, quaſi Hincmarus hæreticos, quos in quinta ſynodo dicit detectos, & Macarium Antiochenum, ipſis Catholicorum libris falſa interpoſuiſſe teſtatus eſſet; liquet ex dictis, & ex mox dicendis adhuc manifeſtius fiet, eum ab Hincmari mente aberrare. De teſtimoniis quippe quæ ex libris excerpta ſint, non de ipſis libris, unus ei ſermo illic fuit. Pag. 363.

Interpolationum autem hujuſmodi ſi cui placet videre exempla, luculenta ſunt in epiſtola Elipanti apud Alcuinum pag. 922. ut quæ hic hæreticus ex Auguſtino laudat, cum ipſis Auguſtini dictis conferenti patebit. Inde nonnulla infrà capite 8. ſum prolaturus. Sunt & in ipſius

Hincmari ſcriptis permulta dictis patrum, quos citat, intermixta gloſſemata, quæ incautum lectorem in errorem facilè abducant. Quis enim verbi gratiâ legens apud eum lib. de non trina deitate pag. 463. *Cùm Pater & Filius & Spiritus-ſanctus, ut Auguſtinus dicit, non tres veritates, nec trina veritas, ſed una ſint veritas, ſicut una eſſentia & una vita*; & poſt pauca, *quia, ut Auguſtinus dicit, deitas Trinitatis eſt unitas, & unitas quæ tres perſonæ unum ſunt, trina eſſe non poteſt*: quis, inquam, hæc legens, niſi ſibi caveat, omnia illa verba quæ Auguſtini laudato nomine ſequuntur, hujus Doctoris eſſe ſtatim non exiſtimet, adeoque Auguſtinum à dicenda trina veritate non minùs, quàm à tribus veritatibus aſſerendis abhorrere? Mera tamen hæc ſunt Hincmari gloſſemata, cùm nuſquam Auguſtinus trinam veritatem à Deo excludat, nuſquam reſpuat, ac longè minùs trinam veritatem tres veritates interpretetur. Ab aliis exemplis ſuperſedeo: ſed hæc non otioſa & inutilia fore ſpero, quòd jam in anteceſſum oſtendant, ideo Hincmarum ut trina deitas aut trina veritas diceretur, permittere noluiſſe, quia trinam deitatem & tres deitates, tri-

nam veritatem & tres veritates, ſynonima eſſe ſibi falsò perſuaſerat. Jam ad propoſitum Macarii exemplum redeo.

Familiare Hincmaro eſt hoc Macarii exemplum. Illud & in præfatione libri de Prædeſtinatione, & in prologo libri de non trina deitate; necnon in decurſu ejuſdem libri pag. 464. commemorat. Totam autem illius culpam non in depravandis exemplaribus, ſed in detruncandis teſtimoniis, quæ ex patrum libris excerpſerat, ſitam fuiſſe in prologo libri de non trina deitate apertiùs declarat. Verùm hoc ille & ſi non indicaſſet, non lateret; cùm habeamus concilii ſexti acta, in quibus quod fuerit Macarii crimen, detegitur ac declaratur. Nimirum plures protulerat Macarius codices, in quibus hæreſim ſuam diverſis patrum teſtimoniis confirmare nitebatur. Juſſit vero ſynodus act. 8. teſtimonia illa cum authenticis exemplaribus conferri. Et collato primùm S. Athanaſii teſtimonio, deprehenſus eſt Macarius *quædam antè & poſt & in medio ejuſdem teſtimonii* prætermiſiſſe. Quam ob cauſam *Conſtantinus piiſſimus imperator*, ut verba concilii hîc adtexam, *& ſancta* *Concil. tom. 6. p. 756.*

ſynodus dixerunt : Dicat Deo amabilis Macarius archiepiſcopus, ut quid hac quæ neceſſaria ſunt circumcidit de teſtimonio ſancti & venerabilis patris? Macarius ſanctiſſimus archiepiſcopus dixit : Ego teſtimonia quæ DEFLORAVI*, ſecundùm proprium intentum* DEFLORAVI. *Et dum adhuc relegeretur poſt detruncationem idem teſtimonium quod* DEFLORAVERANT *Macarius & Stephanus* &c. Nonnulliſque iterum relectis

Pag. 757. E. atque collatis, *ſancta ſynodus dixit : Ecce & hoc teſtimonium ſancti patris peremiſti. Non congruit orthodoxis ita circumtruncatas ſanctorum patrum voces* DEFLORARE : *hæreticorum potiùs proprium hoc eſt.* Qui plura volet, reliqua ejuſdem actionis 8. geſta percurrat. In his certè cùm Macarii infidelitas in circumtruncandis patrum teſtimoniis, quæ ex eorum libris excerpſerat, ſeu defloraverat, magis ac magis detegatur atque convincatur, nuſquam tamen patrum libros depravaſſe aut adulteraſſe arguitur.

Si igitur hoc concilium, ut ejus muneris erat, conſuluiſſet Germonius, ſi ſaltem attentè ſuum legiſſet Hincmarum, cujus tantum defert auctoritati, ut unus ei omnium aut conciliorum aut patrum vice ſufficere videatur, cùm longè aliud ſit

truncata patrum teſtimonia citare, aliud ipſos adulterare ac falſare codices; neque Macarium codicum adulteratorem ſeu, ut loquitur, falſatorem cenſendum eſſe comperiſſet.

Macario autem adhuc ſublato, quid jam ei ſupereſt de exemplis, quibus probare niſus eſt olim exſtitiſſe qui libros falſaſſent, adeoque nec mirum eſſe debere, ſi poſteriora ſæcula eidem perfidiæ obnoxios peperiſſe dicantur; quid, inquam, ei ſupereſt? Reſtat unus Felix Urgellitanæ civitatis epiſcopus, quem quidem Hincmarus Hilarii exemplar uno in loco depravaſſe diſertè aſſerit: ſed & hanc hujus præſulis aſſertionem aut omnino falſam, aut certè valde ſuſpectam eſſe capite 9. commodiùs oſtendemus. Neque igitur vel hinc quidquam conficere valet.

Quæ cùm ita ſint, ſic deſtructis fundamentis, quæ Germonius jecerat, penituſque dirutis, collabatur pariter atque corruat neceſſe eſt quidquid exinde architectari cogitavit. Ac re vera nihil ab eo firmum, nihil ſolidum, nihil non omni probatione deſtitutum adſtrui diligens & accurata diſceptationis ipſius conſideratio patefaciet. Quocirca inanem de

antiquis codicibus, ne fortè falſati ſint, timorem quem injicere fruſtra conatur; æquus quiſque rejiciendum meritò cenſebit. Et verò quæ in eis occurrunt menda, oſcitantia, imperitia, ſimplicitas, non impoſtura, vulgò invexit. In his autem emaculandis ſibi invicem ſubſidio ſunt, ſi & in illis conferendis longa patientia, & in iis varietatibus, quæ collatione deprehenſæ ſunt, ſecernendis non vulgaris adhibeatur diligentia.

Diligentiæ hujus ſpecimini eſſe forſitan poſſet locus Hilarii lib. 2. de Trin. n. 27. in noviſſima editione notâ *k* aſſertus & illuſtratus, niſi eum ipſum in ſtupendæ temeritatis exemplum afferre Germonio placuiſſet. At multùm vereor ne apud æquos rerum æſtimatores hæc in ipſum recidat temeritatis nota. Atque ut hanc ei juſtè inurendam eſſe omnibus compertum ſit, non abs re erit eum ipſum locum rurſum hîc ad trutinam revocare. Quod deinceps præſtandum.

CAPUT VII.

In noviſſima Hilarii editione non temere, ut vult Germonius, verbo adoratur *prælatum eſſe* adoptatur.

INDIGNE fert Germonius, in his Hilarii lib. 2. de Trin. n. 27. *Ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*, verbo *adoptatur* non prælatum eſſe *adoratur*. Sed quorſum hæc illius indignatio? Nonne ibi ad amuſſim ſervata eſt lex, quam ipſe in primo appendicis ſuæ capite editoribus impoſuit? *Volo*, inquiebat, *ut priùs quàm aliquid abradatur, aut immutetur, mendum eſſe conſtet.* Pag. 353. Atqui in præcedentibus Hilarii editionibus, puta Martini Lipſii anni 1544. Johan. Jac. Grinæi anni 1570. Gillotii ann. 1572. Pariſienſibus 1605. 1631. 1652. obtinebat verbum *adoptatur*, ac mendum eſſe ne Germonius quidem audet aſſerere. Nam etſi cauſæ ſuæ ſtudio trahente impulſus primùm dicat, *quòd orationis contextus & ſcopus Hilarii vocem hanc* ADORATUR *videatur exigere*: ſtatim tamen veritatis vi retrahente

revocatus dictum corrigere cogitur, atque inſuper addere, *certè non excludat*. Si igitur de mendo priùs quiſque certus eſſe debet, quàm aliquid immutet, ipſi etiam Germonio ita incerto ac fluctuanti retinendum fuerat *adoptatur*.

Verùm ex nota in illum locum ſubjecta apparet, verbum illud non ideo retentum, quia Hilarii ſcopo atque contextui utrùm conveniret an repugnaret, eſſet incertum : ſed quia mutari non poſſe, niſi verus ac genuinus Hilarii textus depravaretur, compertum omnino fuerit atque exploratum.

Nihil quidem in ea nota diſſimulatum. Enarratum eſt hunc locum à Felice Urgellitano in gratiam hæreſis ſuæ allatum eſſe ; huic verò reſpondiſſe Alcuinum, non legendum eſſe *adoptatur*, ſed *adoratur* ; atque Alcuini ſententiæ Hincmarum non concinere modò, ſed & hoc adjicere, Felicem, corrupto muneribus juniore Aquenſis palatii bibliothecario, in libro Hilarii eraſo, pro *adoratur*, immiſiſſe *adoptatur* ; demum Hincmari narrationi ſuffragari quodam modo Corbeienſem codicem circa illud tempus exaratum, in quo *adoptatur* loco abraſo legere eſt. His

His fideliter expoſitis, nil cæco partium ſtudio, nil vano timori ne hæretico faveretur, eſt datum: ſed omnibus diligenter præponderatis, cum ea libertate, quæ veri ſtudioſos decet, diſceſſum eſt ab Alcuini & Hincmari ſententia; & quam ob cauſam diſceſſum ſit, ſubditis rationibus eſt demonſtratum. Nimirum ſervata eſt egregia illa Auguſtini regula: "Alios autem (à canonicis auctoribus) ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinâque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione quod à vera ratione non abhorreat mihi perſuadere potuerunt." *Epiſt. olim 19. nunc 92. ad Hier. n. 3.*

Tum inter illas rationes primaria hæc allata eſt, cui & Dionyſius Petavius in hunc ipſum locum, ut infrà dicemus, multùm deferendum eſſe monet, veterum codicum auctoritas. Namque in longè pluribus, in ſincerioribus, in antiquioribus exſtat *adoptatur*. Nominatim autem deſignati ſunt Colbertinus & Carnutenſis; quia ante Caroli Magni tempora cùm deſcripti ſint, ab omni Felicianæ fraudis ſuſpicione prorſus ſunt alieni.

Neque verò merâ conjecturâ, ut putat Diſceptator noſter; ſed, quantum experientiâ aſſequi datur, certâ notitiâ dictum eſt, hos duos manuſcriptos Alcuini & Felicis ætatem ſuperare. Uterque ſcriptus eſt Romanis, &, ut vocant, uncialibus litteris: & in Colbertino quidem voces ita artè conjunctæ atque copulatæ ſunt, ut, quod maximæ antiquitatis argumentum, unumquemque verſum verbum unum diceres. De hoc etiam in præfatione generali noviſſimæ editionis Hilarianæ n. 16. obſervatum, 1°. eum olim ad abbatiam S. Dionyſii juxta Pariſios pertinuiſſe; 2°. cùm in eo frequens Hilarii nomen repetatur, nuſquam tamen niſi nudum, & ſine ullo *ſancti* aut quolibet alio honorifico titulo exhiberi, puta ad calcem libri 1. *Explicit Hilari liber primus*; ad calcem ſecundi, *Explicit Hilari liber ſecundus*, & ſic deinceps; idque 3°. argumento eſſe, quòd hic codex vel ex ipſo Hilarii autographo, vel ex codice cùm ille Sanctus adhuc ſuperſtes eſſet exarato, ſumma fide fuiſſe exſcriptum. Cui conjecturæ favet vulgata traditio, qua multa rara ac pretioſa cimelia Pictavis in celebre S. Dionyſii monaſterium à

Dagoberto deportata fuiſſe volunt. Ut ut hæc ſunt, ſola characterum inſpectio apud eos, qui manuſcriptorum uſum habuerint, ſatis per ſe idonea eſt ad aſſerendam huic exemplari ætatem Alcuino & Felice ſuperiorem. Præterea lectionis *adoptatur* antiquitati etiam ipſi ſuffragantur Hincmarus atque Alcuinus, quippe qui in tota hac controverſia ſic loquuntur, ut nullum codicem, in quo aliter exſtaret, ſe vidiſſe ſatis ſignificent.

Nec eſt quòd tot manuſcriptis atque editis codicibus opponat Diſceptator Badii & Eraſmi editionem. Editio Badii, quem Eraſmus ſecutus eſt, libros de Trinitate ex uno de quinque, qui in inſigni bibliotheca Colbertina aſſervantur, expreſſit codice, qui ut volumine, ita & ætate ac ſinceritate omnium minimus ſit, quemadmodum ad calcem noviſſimæ editionis in Syllabo manuſcriptorum eſt annotatum.

Denique cum veterum codicum auctoritate ipſam quoque rationem optimè convenire, ac toto orationis contextu verbum *adoptatur* exigi, perſpicuè quantum ora marginalis patiebatur eſt oſtenſum. Atque ægre quidem mihi perſuadeam Germo-

nium, tanto ingenii acumine præditum, id vel monitum non perſpexiſſe. Dixerimne eum penitiùs rem ſcrutari noluiſſe, ne ſibi tam præclara in Hilarii editores velut in temerarios Felicianæ lectionis ſectatores invehendi occaſio elaberetur? Excuſatum vellem: ſed unde excuſem non invenio. Ne tamen fortè cuiquam non ſatis explorata aut explanata ſit rei veritas, eam modò cùm latior jam patet campus, nec intra marginales anguſtias continere ſe cogitur oratio, pluribus exponere atque ita evidentem facere placet, ut tantùm non cæco deinceps perſpicua ſit.

CAPUT VIII.

Totum Hilarii contextum atque ſcopum adoptatur, *non* adoratur, *poſtulare. Quod & Petavii ſententiâ confirmatur.*

SI quem primum animo intellectum divulſa alicujus auctoris verba offerunt, ei ſemper tribuere periculoſum eſt; id maximè de Hilario ſentiendum. Nam cùm non ſolutis

ſententiis, ſed ratiociniis, quæ propoſitionibus, probationibus, concluſionibuſque conſtent, illius plerumque fluat oratio; principia audienti ſæpe exſpectandum quod inde concluditur, ſicut & concluſionem legenti id unde conficitur eſt repetendum, quo de ipſius ſententia certiùs dijudicetur. Regulæ hujus neglectu olim Alcuinus, quem nunc Germonius ſequitur, in ſententia illius explicanda à vero aberravit, uti jam demonſtrandum.

Priùs obſervare decet, verbum *adoptare* non de filiis ſolis, ſed de omnibus rebus, quæ cùm naturâ non ſint, voluntatis delectu propriæ fiunt, aptè congruenterque enuntiari. Hinc Roberto Stephano *adoptare* id eſt quod *eligere, aſſumere, adſciſcere.* Nec ineptè dixit Martialis lib. I. 138. *Ergo aliquod gratum Muſis tibi nomen adopta.* Ubi verbi *adopta* eadem atque *aſſume* eſt poteſtas. Immo ſi propter artam rami antea alieni cum ramo conjunctionem, quæ per inſitionem fit, Ovidius lib. I. de remed. am. 39. eleganter cecinit, *Venerit inſitio, fac ramum ramus adoptet;* quanto artior eſt Verbi cum carne noſtra, cum qua nihil ei priùs com-

mune erat, ſocietas, ut de ea dicere Hilario licuerit, *Carnis humilitas adoptatur?*

Neque tantùm hoc verbo illum eo intellectu uti potuiſſe, ſed & aliàs re ipſa uſum eſſe, atque aſſumtionem carnis, quam Chriſtus eſſet ſuſcepturus, *adoptionem corporis quod ex virgine præſumturus eſſet* appellaſſe, in prædictum de Trinitate locum annotatum eſt.

Hilar. in pſal. 127. n. 8.

Jam verò ut ad totum Hilarii ſcopum expendendum veniamus, obſervandum eſt in his lib. 2. de Trin. n. 27. concluſionem haberi eorum omnium, quæ à num. 24. probare aggreſſus fuerat; ideoque repetenda eſſe quæ illic ſibi proponat.

Superiùs variis Scripturarum teſtimoniis Chriſtum Deum eſſe cùm confirmaſſet, jam à num. 24. prævertere incipit, quæ ob ſuſceptam carnem contra ipſius deitatem opponi poſſe proſpiciebat. Ac nominatim duo hæc ſibi oſtendenda proponit, quî nimirum in Chriſti conceptu, ortu, cunis & vagitu, voluntariæ humilitatis ſuſceptionem non ambigua divinæ poteſtatis oſtentatio præcedat; & in illa voluntariæ humilitatis ſuſceptione, nativa di-

vinæ naturæ dignitas eſſe non deſinat. Quod rurſum explicans initio num. 26. *Sed ne fortè*, inquit, *detineant ſcrupuloſas mentium cogitationes cunæ, vagitus, partus atque conceptio; reddenda eſt ſingulis Dei dignitas: ut voluntatis humilitatem poteſtatis ambitio præcedat, nec dignationem dignitas derelinquat.* In his notandum quod ait *voluntatis humilitatem*, hoc eſt voluntariam, non coactam, non neceſſariam; & cur id notandum, infrà manifeſtum fiet.

Sic autem propoſito generali conſilio ſuo, à conceptione Chriſti ſtatim orditur his verbis: *Videamus igitur quæ ſunt miniſteria conceptûs.* Atque ubi quæ illius conceptum præceſſerint, quæque conſecuta ſint portenta, quibus mirum in modum refulſit illius dignitas, enarravit atque Scripturis firmavit; congruenter ſcopo ſuo concludit, *Hæc conceptionis eſt dignitas:* hoc eſt, Ita fit, ut in conceptionis humilitate, Dei dignitas non amittatur.

Inde ad reliqua capita, quæ probanda ſuſceperat, progrediens, proximè ſubdit: *Videamus partum, vagitum & cunas quæ dignitas ſequatur:* quaſi diceret, Suſceptæ in his ſtatibus humilitatis dignationem qua ratione

deitatis dignitas non derelinquat; jam videamus. Quod ubi multis prodigiis declaravit, puta ex ſermone Angeli ad Joſeph, ex Spiritus-ſancti per Iſaiam oraculo, quo Deus nobiſcum futurus prænuntiatur, ex nova ſtella, quæ Magis viſa eos ad cæli Dominum deduxit, ex nuntio nati Chriſti paſtoribus per Angelum facto, ex multitudine cæleſtis exercitus in puerperii laudem concurrentis, ex Magorum adoratione; tum hæc omnia ſimul reſumens atque complectens, aliud oculis carnis videri docet, aliud oculis fidei intelligi. *Aliud*, inquit, *intelligitur, aliud videtur, aliud oculis, aliud animo conſpicitur. Parit virgo? partus à Deo eſt. Infans vagit? laudantes Angeli audiuntur. Panni ſordent? Deus adoratur.* Quibus dictis, appoſitè concludit: *Ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas* (in ortu, in vagitu, in cunis) *adoptatur.* Quod ſanè non magis ex Magorum adoratione, quàm ex cæleſtis exercitus laudibus & ceteris mox enumeratis conficitur.

Uno verbo, propoſitio demonſtranda hæc erat: quòd *nec dignationem* Verbi voluntariè ſuſcipientis carnem *dignitas derelinquat* divinæ poteſta-

tis; ſed *partum, vagitum & cunas* Dei *dignitas ſequatur.* Propoſitionis probationes eæ ſunt, Angelicus ſermo, Spiritus-ſancti oraculum, ſtellæ novæ viſio &c. Concluſio probatæ propoſitioni conſentanea rectè ſequitur: *Ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.* Quo in loco, quod diligenter obſervandum, verbum *adoptatur* tanto aptius eſt, quàm *aſſumitur*, quanto aptius eſt ad exprimendam illam, ut ſuprà loquebatur Hilarius, *voluntatis humilitatem*, hoc eſt ex mero voluntatis delectu ac nulla neceſſitate à Filio Dei ſuſceptam. Ea enim, ut ſuprà etiam monuimus, verbi *adopto* eſt poteſtas, ut res adoptatas, nulla neceſſitate, ſed voluntatis delectu proprias fieri ſignificet.

Quæ cùm ita ſint, fateatur neceſſe eſt Germonius, Hilarii verba ſe non ſatis diligenter excuſſiſſe, cùm dixit, *quòd orationis contextus & ſcopus Hilarii vocem hanc* ADORATUR *videatur exigere, certè non excludat*, ac meritò in noviſſima Hilarii editione ſervatum eſſe *adoptatur.*

Dionyſius Petavius, qui tum quidem conſultus non fuerat, in expoſitione dogmatum eccleſiaſticorum lib. 7. de Incarn. c. 4. lectionem eam-

dem ita propensè approbat, atque ei quam Germonius poſthabitam inique animo patitur, anteponendam eſſe verbis adeo expreſſis ſignificat, ut ea integra hîc adtexenda eſſe, idque nemini ingratum fore exiſtimem.
„ Hilarius, inquit eruditus ille Theo-
„ logus, in ſecundo libro de adoptione
„ neſcio quid injicit. *Ita poteſtatis*, ait,
„ *dignitas non amittitur, dum carnis humilitas*
„ *adoptatur*. Hunc locum tamquam ex
„ adverſa parte ſibi opponit S. Tho-
„ mas: & reſpondet, impropriam hanc
„ eſſe locutionem, nec aliud adoptio-
„ nis nomine Hilarium intellexiſſe, niſi
„ unionem hypoſtaticam. Alii pro *ado-*
„ *ptatur*, ſcribendum cenſent *adoratur*;
„ quod non puto ſine idonea veterum
„ codicum auctoritate reponendum.
„ Quamquam Hincmarus Remenſis
„ in præfatione libri de Prædeſtinatio-
„ ne contra Gotheſcalcum ita Hila-
„ rium ſcripſiſſe confirmet, & alteram
„ lectionem Felicis Orgellitani fraude
„ irrepſiſſe putat his verbis, quæ hîc
„ legi digna putentur. *Et ſicut ipſorum*,
„ inquit, *qui interfuerunt concilio relatione di-*
„ *dicimus, quando divæ memoriæ Karolus Fe-*
„ *licem infelicem Orgellitanæ civitatis epiſcopum*
„ *ſynodali decreto hæreticum comprobatum at-*
„ *que damnatum comperit, etiam revictum in-*

enit, quia corrupto muneribns juniore biblio- «
hecario Aquenſis palatii, librum B. Hilarii «
aſit, & ubi ſcriptum erat, quia in Dei filio «
arnis humilitas adoratur, immiſit, carnis hu- «
nilitas adoptatur. Sed utcumque iſte «
Felix egerit, certè de germana Hila- «
ii lectione non temere aſſentiendum «
Hincmaro arbitror. Et minùs profe- «
cto cohæret cum antecedentibus «
verbum *adoratur*, quàm *adoptatur*: ſi «
quidem antitheſis eo loco eſt Hilarii, «
qua cum divinitatis ornamentis quæ «
propria ſunt humanæ naturæ, hoc eſt «
vilia & infirma, comparantur. *Aliud* «
ntelligitur, ait, *aliud videtur; aliud oculis,* «
lliud animo conſpicitur. Parit virgo? partus «
à Deo eſt. Infans vagit? laudantes Angeli «
udiuntur. Panni ſordent? Deus adoratur. «
Quibus illa ſubjungit quæ proximè «
antè commemoravimus. In quibus «
ſi *adorandi* vox repetatur, minùs apta «
videtur oratio. Retinendum itaque «
verbum eſt *adoptatur*. Et humilitatem «
adoptari idem erit atque adſciſci & «
aſſumi. Hactenus Petavius, quem
haud dubiè ea quæ in nova Hilarii
editione obſervata ſunt, in opinione
ſua egregiè confirmaſſent. Jam verò
cum his eruditi viri dictis Germonii
de eodem loco cenſuram componamus.

» Quis non ſtupeat, ait Diſceptator,
» noviſſimos operum Hilarii editores
» poſthabitis tot ac tantis teſtibus, Fe-
» licianam lectionem à nongentis &
» amplius annis falſi convictam ſecu-
» tos fuiſſe? Neque verò ignoraverunt
» illi, quid Orgellitano epiſcopo ab
» Alcuino olim & Hincmaro expro-
» bratum fuiſſet. Iidem viderant in
» vetuſto codice manifeſta Felicianæ
» fraudis veſtigia, ſervatamque in ali-
» quot aliis antiquis codicibus genui-
» nam lectionem. Habebant præ ocu-
» lis Badii & Eraſmi editiones, in qui-
» bus etiamnum legimus *adoratur*, non
» *adoptatur*. Hæc omnia à ſe cognita &
» obſervata fuiſſe non diſſimulant. (Ve-
ri ac recti amor ut nihil diſſimulat
quod ſcire intereſt; ita etiam aucto-
ritatem ſequi neſcit ratione deſtitu-
» tam.) Præterea ipſos fugere non po-
» terat quòd orationis contextus &
» ſcopus Hilarii vocem hanc *adoratur*
» videatur exigere, certè non excludat.
» Animadvertere etiam debuerant ſen-
» tentiâ hac, *carnis humilitas adoratur*,
» idem exprimi quod paulo antè his
» verbis, *cunarum ſordes adorantur*, (Verba
hæc eò tantùm ſpectant, ut Dei di-
gnitatem in cunis non amitti perſua-
» deatur,) aliiſque ſimilibus non ſemel

dictum fuerat. Quæ igitur ratio editores induxit, ut adulteratam à Felice lectionem admitterent, & Orgellitanum epiſcopum ducem ſequi mallent, quàm celebratam juſſu Caroli Magni ſynodum, quàm Alcuinum, & Hincmarum, quàm editiones Badii, & Eraſmi, quibus manuſcriptos ſaltem aliquot conſentire fatentur? Ita Germonius.

Unde verò tam diverſa duorum ejuſdem ſocietatis ejuſdemque civitatis criticorum cenſura? Cauſas aliis quærendas permitto: unum hoc mihi aſſumſi, quæ duarum illarum ſententiarum juſta ſit, quæ à veritate aliena, præmonſtrare. Et hoc à me abunde præſtitum confido.

Nam ſatis ac plus quàm ſatis probatam exiſtimo rationem delectûs, quo *adoptatur* verbo *adoratur* prælatum eſt. Illud manifeſtè poſtulat oratio & ſcopus Hilarii; ac non ex duabus tantùm, ſed ex ſex præcedentibus editionibus; non ex perpaucis inferioris notæ, ſed ex quàm pluribus iiſque melioribus manuſcriptis auctoritatem habet. Peculiari Alcuini & Hincmari ſententiæ opponuntur codices horum duorum virorum ætate ſuperiores, ut taceam quos Hinc-

marus conſuluiſſe videtur, atque offendiſſe præconceptæ opinioni ſuæ diſſentientes. Sed ne quid in hac diſſertatione deſit, juverit & quanti hac in re facienda ſit Alcuini primùm, tum Hincmari auctoritas, enucleatiùs aperire.

CAPUT IX.

Quò impegerint Alcuinus ac ſocii, dum vocabulis adoptionis *aut* adoptivi hominis *quæ apud antiquos vis ineſſet, non ſatis attenderunt.*

ERE Eccleſiæ erat verbum *adoptatur* in allato Hilarii loco retinere, & idoneè explicare. Hæc explicatio conducit ad intelligentiam verborum, quæ olim inter ſacra Hiſpanicæ eccleſiæ Officia decantabantur, puta hæc in Miſſa de Cœna Domini, *Qui per adoptivi hominis paſſionem dum ſuo non indulſit corpori*; aut iſta in Miſſa de Adſcenſione Domini, *Hodie Salvator noſter poſt adoptionem carnis, ſedem repetivit deitatis.* Ea enim verba omni jam difficultate vacant: cùm *poſt adoptionem carnis*, id eſſe quod *poſt ſuſceptionem carnis*; & *adoptivi hominis*, id quod *aſſumti*

hominis, commodè intelligatur. Unde & hujus adoptivi ſeu aſſumti hominis corpus adoptanti ſeu aſſumenti ſtatim dicitur *ſuum* ac proprium, *dum ſuo non indulſit corpori.* Quo intellectu nihil in prædictis verbis non catholicum, nihil non orthodoxum.

Cùm autem Felix epiſcopus Urgellitanus, homo imperitus, hæc in gratiam hæreſis ſuæ detorqueret, gloriareturque ſe doctrinam in his Officiis traditam propugnare, eoque pacto ſanctos Toletanæ eccleſiæ præſules Eugenium, Hildephonſum, Julianum, qui Officia illa compoſuerant, doctrinæ ſuæ habere auctores: ille inſtruendus erat, non hi temere & inconſultò damnandi.

Quamobrem Alcuinum, alioſve qui eumdem Felicem aut diſcipulum ejus Elipantum refutarunt, ægre quis excuſet, ac non imprudentiæ ſaltem præcipitiſque judicii in eo inſimulet, quòd antiſtites doctrinâ ſimul & pietate præſtantes, ex citatis ab hæretico verbis quæ ſententiam patiuntur orthodoxam, non examinatis eorum propriis ſenſibus vel fide, ut hæreticos habuerunt manifeſtos, qui ob depravatam fidem tradi Arabum infidelium poteſtati meruerint. *Præſules*

Lib. 7. cont. Fel. p. 895. *quoque*, inquit ad ipſummet Felicem Alcuinus, *Hiſpaniarum inducis, quos tu orthodoxos dicis; in his quas poſuiſti orationibus indubitanter hæretici eſſe noſcuntur.* Addunt & in eamdem ſententiam alii, quos reverentiæ causâ non appello: *Ut manifeſtum ſit quales habeatis parentes, & ut notum ſit omnibus, unde vos traditi ſitis in manus infidelium.*

Sic illi traditionis integritatem notabiliter labefactare non timent, dum tam inſignes tamque ſanctos præſules, qui fidem ſuam non in qualibuſcumque ſcriptis, ſed in divinis Officiis conſignarant, quoſque catholicæ fidei vindicare nullus erat labor, imperitæ hæreſi inconſideratè dimittunt, dimittuntque ſimul non mediocrem eccleſiæ occidentalis portionem, quæ eamdem fidem inter divinas laudes ſibi propinatam ſimpliciter animis imbiberat, neque umquam in novam abierat diviſi Chriſti opinionem. In illis quidem non ſatis laudandum ardens illud fidei ſtudium, quo quæ vel aliquam præ ſe ferunt hæreſis ſpeciem perhorreſcunt: ſed deſideranda ſcientia, non ea quidem qua quid credendum ſit teneant; ſed ea dumtaxat, qua non omni ſpeciei credentes, veritatem

ſub

ſub ambiguis verbis latentem catè detegant ac diſcernant: maximè cùm de viris ageretur, in quos nulla umquam malæ ſuſpicionis umbra incidiſſet.

Tanti igitur criminis eſt, hujuſmodi auctoritati non ſe cæco impetu tradidiſſe, ſed moroſè perpendiſſe omnia; atque id demum ſuppeditaſſe, unde ſanctis præſulibus inuſta hæreſeos nota abſtergeretur, ſimulque hæreticis eriperetur occaſio de eorum, immo totius inſignis eccleſiæ, ſuffragio gloriandi? Tanti, inquam, criminis eſt, ubi de verbo vel admittendo vel rejiciendo agitur, ab eorum diſceſſiſſe ſententia, qui verborum vim ac poteſtatem neſcierunt, aut certè non expenderunt?

Si verò generali *adoptionis* vocabulo quid ſignificaretur, operoſiùs expendiſſent, fortè etiam idoneæ explicationis beneficio hæretici ipſi pervicaciâ poſitâ, ad veritatem reducti paulatim fuiſſent. Qui enim cum epiſtola Auguſtini olim 102. nunc 169. contenderit quæ ex ea Elipantus apud Alcuinum laudat, facilè adducetur ut credat, hæreticos illos non ſatis diſtinxiſſe quid adoptivum dicerent, eoſque *ſuſceptum* & *adoptivum* homi- *Pag. 922.*

nem, de Chriſto loquentes, confudiſſe.

Certè in prædicta epiſtola ubicumque Auguſtinus *aſſumti* ſeu *ſuſcepti* hominis aut corporis mentionem facit, verbis illius Elipantus *adoptivi* vocem aut ſubſtituit, aut adjungit. Exempli gratiâ ubi Auguſtinus num. 4. ſimpliciter dicit, *Sicut Pater in voce qua ſonuit, Tu es filius meus, & filius in homine quem ſuſcepit ex virgine*; Elipantus habet, *Sicut Pater in voce qua ſonuit, Tu es filius meus, & filius in homine adoptivus, quem ſuſcepit ex virgine.* Pro his rurſum Auguſtini in fine num. 7. *Atque ita & Filius Dei ſimul cum homine ſuſcepto dicitur*; Elipantus ſubſtituit, *Atque ita & Filius Dei ſimul cum homine adoptivus* (leg. *adoptivo*) *dicitur.* Ubi demum Auguſtinus initio num. 8. *Non enim homine aſſumto perſonarum numerus auctus eſt*; Elipantus legit, *Non enim homine aſſumto vel adoptivo perſonarum numerus auctus eſt.* In his cernuntur interpolationum hæreticarum exempla, quæ ſuprà pag. 57. indicare ſatis habueram.

Si quis etiam Auguſtini ab Elipanto citatam epiſtolam legere integram non gravatus fuerit, pervicaciam ſimul & ignorantiam demirabitur hujus hæretici, qui ſcriptum tanti

doctoris, in quo ipſius hæreſis funditus evertitur, & memorare & laudare non timuerit.

Sed & ſi Felix & Elipantus non ideo hæretici fuerint, quòd hominem à Filio Dei aſſumtum *hominem adoptivum*, carnem ab eo ſuſceptam *carnem adoptatam* dicerent; atque ad rectam fidem reduci potuerint, ſi verborum quibus illudebant, & fortè illudebantur, eſſet ſoluta ambiguitas: manifeſta tamen tum fuit eorum hæreſis, cùm inde ad duos in Chriſto filios duoſque Deos prædicandos, ut Alcuinus teſtis eſt, declinarunt, & apertis patrum teſtimoniis revicti cedere noluerunt. *Lib. 1. cont. Felic. p. 781.*

Horum blaſphemiæ propagandæ ut occluderetur locus, ſapienter fecerunt, qui eas in Miſſali Mozarabico ſententias, quibus abuſi fuerant, aut ſuppreſſerunt prorſus, aut mutarunt. Quam enim Felix & Elipantus ex Miſſa de Cœna Domini laudabant, in hoc Miſſali non offendi. In Miſſa autem de Adſcenſione Domini non jam *poſt adoptionem carnis*, ſed *poſt aſſumtionem carnis* reperio: qua quidem mutatione quid ſibi apud primos Officiorum illorum conditores voluerit *adoptio carnis*, apertè exprimitur.

Ad prædictum Hilarii locum à Felice objectum quod attinet, eum Alcuinus longè expeditiùs repuliſſet atque efficaciùs, ſi illum ad rem Felicis nihil omnino facere oſtendiſſet. Volebat nimirum Felix, Chriſtum, ut hominem, Patris æterni adoptivum eſſe filium; quid verò ad hoc illius placitum pertinebat locus, in quo quædam adoptionis ab uno Filio factæ ſpecies memoratur? Qua in re Felix cùm imperitiam patefaciat ſuam, valde ſuſpectam facit Hincmari de falſato Aquenſis bibliothecæ codice narrationem. Quod quidem indagare etſi ad intelligentiam Hilarii non neceſſarium, ad res tamen dicendas non fuerit otioſum.

CAPUT X.

Nullam veri eſſe ſimilitudinem in Hincmari relatione de loco Hilarii à Felice depravato.

Hincmari merito ac nomini nihil detraxerim, ſi eum erga adverſarios modum non ſemper tenuiſſe dixero. Si igitur omnia cèterorum ſcripta priùs ſint probanda,

quàm iis fides habeatur; nemo temere factum putet, ſi quod ille in æſtu diſputationis narrat, quoad exploratum ſit, in dubium revocetur. Verba illius de loco Hilarii à Felice depravato, cùm in ſuperiori capite à Dion. Petavio accuratè ſint deſcripta, hîc repetere abſtineo.

Tantùm obſervo rem ab Hincmaro narrari, non quam propriis oculis vidit, ſed quam didicit *relatione*; quæ cùm perperam accipi, ac novis quibuſdam adjunctis exaggerari aut infideliter tradi ſoleat, numquam ſatis certum animum facit: maximè ubi adſunt teſtes oculati, aut certè qui idem factum certiùs diſcere valuerint, & quorum valde intererat illud cum iiſdem adjunctis referre, qui nullum de eo ſermonem fecerint, quamvis ejus referendi ſe ſe obtulerit occaſio, eaque ne illud ſileretur exigeret. Adeſt porrò Alcuinus, qui à Carolo Magno in Gallias vocatus contra Felicem Urgellitanum proximè poſt ipſius condemnationem ſcripſit; quemque adeo nihil eorum latere potuit, quæ Felix mala fide geſſiſſet. Et cùm eo in opere nihil ille omittat, unde infelici huic epiſcopo invidiam faceret; cùm ipſum etiam

arguat, quòd eum Hilarii locum, quem Hincmarus falſatum vult, aliter quàm oporteret, referret: (quâ opportunior excogitari nequit falſati codicis exprobrandi occaſio,) de hac tamen depravatione nullum prorſus verbum facit. Totum illius locum, etſi nonnihil prolixum, hîc deſcribere juvat. Sic porro Felicem alloquitur.

Lib. 6. contr. Felic. pag. 872. » Nunc operæ pretium eſt aliqua ex » ſanctorum doctorum libellis teſti- » monia proferre, quæ tu etiam con- » trario ſenſu flectere ad tuæ partis » confirmationem niteris, quæ omni- » no tibi eſſe adverſaria & tui erroris » ſectæ contraria intelliguntur. Inſu- » per & quædam calliditatis nequitiâ » ſubtrahis, quæ tuam hæreſim dam- » nare videntur. Quædam verò con- » ſuetâ tibi verſutiâ immutare non » times, ut in libris B. Hilarii feciſſe » videris. Ubi ille præcipuus doctor & » catholicus ait: *Poteſtas dignitatis non* » *amittitur*; tu omnino perverſiſſimè » dicis *adoptatur*, ubi D. Hilarius ait » *adoratur*. Carnis equidem à Magis hu- » militas adorata eſt, & myſticis mu- » nerum ſpeciebus honorata, non » adoptata. Quod perſpicuè ex ante- » cedentibus verbis ejuſdem doctoris

intelligi poteſt, ubi ait quod tu ipſe « poſuiſti, in pannis adhuc Deus ado- « ratur ; idem ipſe qui in cunabulis « jacuit, ab Angelis Chriſtus Domi- « nus prædicatur, non à Patre adopta- « tur in filium. In quo loco certiſſimè « de Magorum adoratione idem pater « Hilarius diſputat, non de paterna « adoptione, quam tu praviſſimè huic « loco inſerere conaris. «

In toto hoc loco, quod in primis obſervandum, nullatenus de libris, ſed de unis patrum teſtimoniis à Felice ſiniſtrè acceptis aut citatis agitur : quorum occaſione tria ipſi Alcuinus exprobrat, primùm quòd contorto ſenſu ea ad confirmationem hæreſeos ſuæ rapiat, deinde quòd quædam verba nequiter ſupprimat, quædam demum eâdem malitiâ immutet. Sanè quartum ei erat non ſine indignatione exprobrandum, ſi falſati codicis regii reus exſtitiſſet.

Hoc etiam notatu dignum, quòd in exemplum ejus verſutiæ, qua veterum dicta immutare arguitur, Hilarii locum, de quo diſceptatur, ita profert, ut non dicat, *Tu omnino perverſiſſimè in libro poſuiſti adoptatur, ubi ſcriptum erat adoratur*, (quod ſanè non erat tacendum, ſi re ipſa poſuiſſet,

ac longè invidioſius erat:) ſed tantùm, *Tu omnino perverſiſſimè dicis* ADOPTATUR, *ubi Hilarius ait* ADORATUR.

Unde verò probat, Hilarium dixiſſe *adoratur?* Id quidem non ideo aſſerit, quia ita in aliquo authentico exemplari vidiſſet: ſed quia antecedentia Hilarii verba illud neceſſariò poſtulare falsò ſibi perſuaſerat. *Quod perſpicuè*, inquit, *ex antecedentibus ejuſdem doctoris verbis intelligi poteſt.* Hæc igitur Alcuini de ſuo loquentis interpretatio imminuere nullatenus valet authenticorum librorùm, qui *adoptatur* exhibent, auctoritatem. Addit Alcuinus, antecedentia illa Hilarii verba, ſcilicet, *Sic per Magos cunarum ſordes adorantur, ſic vagitus per Angelorum divina gaudia honoratur....: Infans vagit? laudantes Angeli audiuntur, Panni ſordent? Deus adoratur*; ab ipſo Felice ſimul fuiſſe allata: *Quod tu ipſe*, inquit ad eum, *poſuiſti.* In quo certè hic hæreticus majorem ignorantiam præ ſe tulit, quàm malam fidem. Aliàs diligenter caviſſet, ne poneretur in medio tanti præſulis teſtimonium, in quo quod vilius à Filio Dei pro nobis ſuſceptum eſt, eo cultu adorationis, quæ ſoli Deo debetur, honoratum fuiſſe docet, *Cunarum ſorde*

adorantur : idque factum approbat, quia nimirum tanta eſt in Chriſto hominis Deique conjunctio, ut honor infanti in pannis jacenti exhibitus, Deo exhibeatur. *Panni ſordent? Deus adoratur.* Quibus verbis hæreſi Felicianæ quid magis adverſum magiſque contrarium proferri poſſet? Dividebat ille infelix epiſcopus, Alcuino teſte, *Chriſtum in duos filios, unum vocans proprium, alterum adoptivum; & in duos Deos, unum verum Deum, alterum nuncupativum Deum.* Hilarius verò in loco citato ita ſummam in Chriſto indiviſionem prædicat, ut & *cunarum ſordes adorentur*; & cùm adorantur, *Deus adoretur*; Deus, inquam, non nuncupativus, ſed ſimpliciter *Deus.* Lib. 1. cont. Felic. p. 781.

Si igitur eâ malitiâ fuiſſet Felix, ut vel falſato Hilarii loco, quem ipſe depravaſſet, cùm non adeſſet ullus verus, hæreſim ſuam tueri conaretur, aptiorem ſanè conſilio ſuo delegiſſet. Is enim nihil eum juvat, cùm verbo *adoptatur* non ſubjungatur, nec ſubintelligi poſſit *à Patre* : multùm verò nocet propter adjuncta, quæ quod animo intendebat, funditus deſtruunt. His tamen minimè conſideratis, verba Hilarii *dum carnis humilitas adoptatur*, non ſubjuncto *à Patre*

citat, & citat quidem cum præcedentibus, quamvis ea ipſi omnino adverſarentur: quod indicio propè certo eſt, eum uno verbo *adoptatur*, quod in Hilarii exemplari reperiſſet, adductum fuiſſe ut prædicta citaret; ac ſi abfuiſſet hoc verbum, numquam de eo ponendo fuiſſe cogitaturum. Ex epiſtola diſcipuli Elipanti apud Alcuinum pag. 910. augurari licet ingenium & ignorantiam magiſtri: nominatimque in congeſtis pag. 916. ex Miſſali Hiſpanico locis perſpicitur, quàm indiſcriminatim quæ *adoptionis* nomen continebant, quamvis nihil ad rem facientia, colligerent & obtruderent.

Quod ad codicem manuſcriptum attinet, in quo duæ ultimæ verbi *adoptatur* ſyllabæ loco eraſo videntur: id quidem duobus modis, ſine ulla codicis depravatione, fieri potuit, aut ſcilicet lapſu librarii, qui cùm primò *adoratur* pinxiſſet ob recentem, ut ſæpe fit, ejuſdem verbi proximè picti nondum deletam imaginem, poſtea exemplum relegens, erratum correxerit: aut etiam vitio membranarum non ſatis æquabiliter politarum. Re ipſa in eodem codice jam à verſu ſequenti alter locus, & in

tota pagina quinque alii, & ſic in ceteris, apparent, quos ſimiliter eraſos diceres, quamvis omni prorſus corruptionis ſuſpicione vacent. Hincmari tamen narrationi locum dediſſe videtur hic liber, malè intellectis ſuperiùs allatis Alcuini verbis, quibus Felix hunc locum depravatè citaſſe arguitur.

Sed & Hincmari narrationi fidem detrahit non ſolùm Alcuini, concilii Francofordienſis, aliorumque qui contra Felicem aut Elipantum ſcripſerunt, etiam occaſione datâ de ea non tacendi, ſilentium; verùm etiam Hincmari ipſius in ea referenda variatio. Nam ſecundùm præfationem libri ipſius de prædeſtinatione, ut vidimus, Felix unum Aquenſis palatii codicem corruperat: ſed ſecundùm librum de non trina deitate, jam non unum, ſed omnes quotquot arripere potuit, libros Hilarii depravavit. *Felix*, inquit, *Orgellitanæ quondam civitatis epiſcopus infelix in libro D. Hilarii, ubi idem ſanctus dixerat, Carnis humilitas adoratur, tempore Caroli Magni imperatoris, quoſcumque hinc codices arripere potuit, in omnibus adulteravit: Carnis humilitas adoptatur.* Ita ille intra modum ſe continere non valens, ſemper exaggerare

Lab. to. 7. Conc. pag. 1033.

P. 465.

amat. Niſi fortè quis Hincmarum ita ſecum conciliare malit, ut ille per intervallum quod inter librum de prædeſtinatione & Tractatum de non trina deitate interceſſit, plures re ipſa Hilarii libros conſuluerit, & cùm in nullo non offendiſſet *adoptatur*, id ex præconcepta opinione Felicis perfidiæ tribuendum cenſuerit potiùs, quàm ſummæ in exſcribendo archetypo librariorum fidei. Certè quos vidi ante ævum Alcuini & Hincmari exaratos codices, exhibent *adoptatur*. Plures etiam, poſt ipſos, fideliter eamdem lectionem retinuerunt: quam ſubinde à nonnullis, horum duorum virorum ſententiâ abreptis, immutatum fuiſſe nemini mirum eſſe debet; cùm pariter verſus, *Te trina Deitas*, diverſis in eccleſiis propter Hincmari ea de re Tractatum mutatus ſit.

Etiamſi circa hunc Hilarii locum jam diutius immorati ſimus, ad alium tamen tranſire priùs non licet, quàm quaſdam de innumeris ejuſdem doctoris retulerim aut certè notaverim ſententias, quibus Felicis hæreſim ante ejus ortum præverterit. Ait lib. „ 3. de Trin. n. 3. Qui cruci affixerant, „ verè Dei filium confitentur. Prædi-

cationi conſentit effectus. Dominus «
dixerat, *Clarifica filium tuum.* Non ſo- «
lùm nomine conteſtatus eſt eſſe ſe «
filium, ſed & proprietate, qua dici- «
tur *tuum:* multi enim nos filii, ſed «
non talis hic filius. Hic enim & ve- «
rus & proprius eſt filius, origine, «
non adoptione; veritate, *non nuncupatione*; «
nativitate, non creatione. Et lib. 6. «
n. 23. Patrem ſic inducit loquentem, «
Donavi ADOPTIONIS *plurimis nomen, ſed* «
hic filius meus eſt. Totum hunc locum «
concilium Francofordienſe adversùs Elipantum Felicis diſcipulum fuſiùs proſequitur, additque alios tum ex eodem libro, qui ut in noviſſima ejus editione ad lib. 2. n. 27. obſervatum fuit, totus eſt deinceps adversùs eos qui Chriſtum eſſe filium adoptivum volunt, tum ex libro 8. & aliis. *Tom. 7. concil. pag. 1042.* Item Paulinus Aquileienſis epiſcopus lib. 3. adverſus Felicem Urgel. illum multis ejuſdem doctoris teſtimoniis revincit ex lib. VII. VIII. IX. X. XI. & XII. ſelectis, quæ conſultò prætereo, ne in re non dubia hærere videar. *Apud Alcuin. pag. 1855.* Reſtat tamen ſcrupulus eximendus. Erit fortè, cui in mentem veniat, Hilarium quidem libro 6. de Trinitate fere toto aliiſque in id incumbere, ut Chriſtum non adopti-

vum, ſed proprium filium eſſe defendat: at in iis locis illum contra Arianos hoc de Chriſto ſecundùm divinam ipſius naturam aſſerere, ſecundùm quam neque Felix Chriſtum proprium Dei filium negabat. Ut igitur hic ſcrupulus avellatur, eſt & illud adjungendum, eximium illum divinitatis Domini noſtri defenſorem non minùs acriter contra Chriſti diviſores, qui illum in duos filios partiebantur, quàm contra adoptionis aſſertores decertaſſe, uti tum ex pluribus locis, tum maximè ex libro 10. à numero 60. & deinceps manifeſtum eſt. Pergit exinde initio libri 11. hanc Domini unitatem ſeu indiviſionem tueri: atque ubi præmiſit n. 2. *Unus autem Dominus Chriſtus non nomine, ſed fide, unus eſt filius:* mox concludit, *Qui igitur aliter Chriſtum quàm eſt prædicabit, id eſt nec filium nec Deum eſſe, alium Chriſtum prædicabit.* Et lib. 12. n. 2. inſeparabilem fidei Spiritum dono unigeniti Dei ſibi adeſſe confidit in eo quod prædicat: *Noſtra verò tantùm hæc ſola religio eſt, Filium confiteri non adoptivum, ſed natum; neque electum, ſed generatum.*

Hujuſmodi planis perſpicuiſque teſtimoniis Felicem à Paulino revictum eſſe certiùs conſtat, quàm neſcio

qua corrupti muneribus bibliothecarii junioris hiſtoriolâ. Qua tamen nixus Germonius poſtquam in Hilarii editores multa effudit ; quod toto capite ſecundo ſe probaſſe putat, his complectitur verbis : Ex iis, quæ modò diximus, conſtat ab hæreticis aliiſque improbis hominibus adulterata fuiſſe olim quædam eccleſiaſtica monumenta. Tum quo conſilio hæc præmiſerit, nolens latere, ſubjungit : Quæ hîc præmiſſa volui, ne cui fortaſſe mirum videatur, ſi ego contendero inter manuſcriptos codices, quibus divi Auguſtini opera continentur, aliquos reperiri poſſe, & re ipſa reperiri, qui malitioſè & datâ operâ à perfidis hominibus corrupti ſunt. Hoc eſt, in id deinceps maximè intendit, ut in inſignis bibliothecæ Corbeienſis codices, eaſque editiones quibus illi, quamvis non ſoli, magno uſui fuerunt, ſuſpicionem falſi injiciat. *Pag. 369.*

Utinam eruditum virum excitare daretur Jac. Sirmondum, qui eximiæ hujus bibliothecæ meritum apprime noverat. Æquior erat, quàm ut tacere poſſet quanto ſibi ſuiſque ſtudiis præſidio fuerit. Recenſeret ſanè quot illa ipſi ſuppeditarit ex veteri-

nem, de Chriſto loquentes, confudiſſe.

Certè in prædicta epiſtola ubicumque Auguſtinus *aſſumti* ſeu *ſuſcepti* hominis aut corporis mentionem facit, verbis illius Elipantus *adoptivi* vocem aut ſubſtituit, aut adjungit. Exempli gratiâ ubi Auguſtinus num. 4. ſimpliciter dicit, *Sicut Pater in voce qua ſonuit, Tu es filius meus, & filius in homine quem ſuſcepit ex virgine*; Elipantus habet, *Sicut Pater in voce qua ſonuit, Tu es filius meus, & filius in homine adoptivus, quem ſuſcepit ex virgine.* Pro his rurſum Auguſtini in fine num. 7. *Atque ita & Filius Dei ſimul cum homine ſuſcepto dicitur*; Elipantus ſubſtituit, *Atque ita & Filius Dei ſimul cum homine adoptivus* (leg. *adoptivo*) *dicitur*. Ubi demum Auguſtinus initio num. 8. *Non enim homine aſſumto perſonarum numerus auctus eſt*; Elipantus legit, *Non enim homine aſſumto vel adoptivo perſonarum numerus auctus eſt.* In his cernuntur interpolationum hæreticarum exempla, quæ ſuprà pag. 57. indicare ſatis habueram.

Si quis etiam Auguſtini ab Elipanto citatam epiſtolam legere integram non gravatus fuerit, pervicaciam ſimul & ignorantiam demirabitur hujus hæretici, qui ſcriptum tanti

doctoris, in quo ipſius hæreſis funditus evertitur, & memorare & laudare non timuerit.

Sed & ſi Felix & Elipantus non ideo hæretici fuerint, quòd hominem à Filio Dei aſſumtum *hominem adoptivum*, carnem ab eo ſuſceptam *carnem adoptatam* dicerent; atque ad rectam fidem reduci potuerint, ſi verborum quibus illudebant, & fortè illudebantur, eſſet ſoluta ambiguitas: manifeſta tamen tum fuit eorum hæreſis, cùm inde ad duos in Chriſto filios duoſque Deos prædicandos, ut Alcuinus teſtis eſt, declinarunt, & apertis patrum teſtimoniis revicti cedere noluerunt. *Lib.* 1. *cont. Felic. p.* 781.

Horum blaſphemiæ propagandæ ut occluderetur locus, ſapienter fecerunt, qui eas in Miſſali Mozarabico ſententias, quibus abuſi fuerant, aut ſuppreſſerunt prorſus, aut mutarunt. Quam enim Felix & Elipantus ex Miſſa de Cœna Domini laudabant, in hoc Miſſali non offendi. In Miſſa autem de Adſcenſione Domini non jam *poſt adoptionem carnis*, ſed *poſt aſſumtionem carnis* reperio: qua quidem mutatione quid ſibi apud primos Officiorum illorum conditores voluerit *adoptio carnis*, apertè exprimitur.

Ad prædictum Hilarii locum à Felice objectum quod attinet, eum Alcuinus longè expeditiùs repuliſſet atque efficaciùs, ſi illum ad rem Felicis nihil omnino facere oſtendiſſet. Volebat nimirum Felix, Chriſtum, ut hominem, Patris æterni adoptivum eſſe filium; quid verò ad hoc illius placitum pertinebat locus, in quo quædam adoptionis ab uno Filio factæ ſpecies memoratur? Qua in re Felix cùm imperitiam patefaciat ſuam, valde ſuſpectam facit Hincmari de falſato Aquenſis bibliothecæ codice narrationem. Quod quidem indagare etſi ad intelligentiam Hilarii non neceſſarium, ad res tamen dicendas non fuerit otioſum.

CAPUT X.

Nullam veri eſſe ſimilitudinem in Hincmari relatione de loco Hilarii à Felice depravato.

HINCMARI merito ac nomini nihil detraxerim, ſi eum erga adverſarios modum non ſemper tenuiſſe dixero. Si igitur omnia cèterorum ſcripta priùs ſint probanda,

quàm iis fides habeatur ; nemo temere factum putet, ſi quod ille in æſtu diſputationis narrat, quoad exploratum ſit, in dubium revocetur. Verba illius de loco Hilarii à Felice depravato, cùm in ſuperiori capite à Dion. Petavio accuratè ſint deſcripta, hîc repetere abſtineo.

Tantùm obſervo rem ab Hincmaro narrari, non quam propriis oculis vidit, ſed quam didicit *relatione* ; quæ cùm perperam accipi, ac novis quibuſdam adjunctis exaggerari aut infideliter tradi ſoleat, numquam ſatis certum animum facit : maximè ubi adſunt teſtes oculati, aut certè qui idem factum certiùs diſcere valuerint, & quorum valde interat illud cum iiſdem adjunctis referre, qui nullum de eo ſermonem fecerint, quamvis ejus referendi ſe ſe obtulerit occaſio, eaque ne illud ſileretur exigeret. Adeſt porrò Alcuinus, qui à Carolo Magno in Gallias vocatus contra Felicem Urgellitanum proximè poſt ipſius condemnationem ſcripſit; quemque adeo nihil eorum latere potuit, quæ Felix mala fide geſſiſſet. Et cùm eo in opere nihil ille omittat, unde infelici huic epiſcopo invidiam faceret ; cùm ipſum etiam

arguat, quòd eum Hilarii locum, quem Hincmarus falſatum vult, aliter quàm oporteret, referret: (quâ opportunior excogitari nequit falſati codicis exprobrandi occaſio,) de hac tamen depravatione nullum prorſus verbum facit. Totum illius locum, etſi nonnihil prolixum, hîc deſcribere juvat. Sic porro Felicem alloquitur.

Lib. 6. contr. Felic. pag. 172. » Nunc operæ pretium eſt aliqua ex » ſanctorum doctorum libellis teſti- » monia proferre, quæ tu etiam con- » trario ſenſu flectere ad tuæ partis » confirmationem niteris, quæ omni- » no tibi eſſe adverſaria & tui erroris » ſectæ contraria intelligentur. Inſu- » per & quædam calliditatis nequitiâ » ſubtrahis, quæ tuam hæreſim dam- » nare videntur. Quædam verò con- » ſuetâ tibi verſutiâ immutare non » times, ut in libris B. Hilarii feciſſe » videris. Ubi ille præcipuus doctor & » catholicus ait: *Poteſtas dignitatis non* » *amittitur*; tu omnino perverſiſſimè » dicis *adoptatur*, ubi D. Hilarius ait » *adoratur*. Carnis equidem à Magis hu- » militas adorata eſt, & myſticis mu- » nerum ſpeciebus honorata, non » adoptata. Quod perſpicuè ex ante- » cedentibus verbis ejuſdem doctoris

intelligi poteſt, ubi ait quod tu ipſe poſuiſti, in pannis adhuc Deus adoratur; idem ipſe qui in cunabulis jacuit, ab Angelis Chriſtus Dominus prædicatur, non à Patre adoptatur in filium. In quo loco certiſſimè de Magorum adoratione idem pater Hilarius diſputat, non de paterna adoptione, quam tu praviſſimè huic loco inſerere conaris. "

In toto hoc loco, quod in primis obſervandum, nullatenus de libris, ſed de unis patrum teſtimoniis à Felice ſiniſtrè acceptis aut citatis agitur: quorum occaſione tria ipſi Alcuinus exprobrat, primùm quòd contorto ſenſu ea ad confirmationem hæreſeos ſuæ rapiat, deinde quòd quædam verba nequiter ſupprimat, quædam demum eâdem malitiâ immutet. Sanè quartum ei erat non ſine indignatione exprobrandum, ſi falſati codicis regii reus exſtitiſſet.

Hoc etiam notatu dignum, quòd in exemplum ejus verſutiæ, qua veterum dicta immutare arguitur, Hilarii locum, de quo diſceptatur, ita profert, ut non dicat, *Tu omnino perverſiſſimè in libro poſuiſti adoptatur, ubi ſcriptum erat adoratur*, (quod ſanè non erat tacendum, ſi re ipſa poſuiſſet,

ac longè invidioſius erat:) ſed tantùm, *Tu omnino perverſiſſimè dicis* ADOPTATUR, *ubi Hilarius ait* ADORATUR.

Unde verò probat, Hilarium dixiſſe *adoratur?* Id quidem non ideo aſſerit, quia ita in aliquo authentico exemplari vidiſſet: ſed quia antecedentia Hilarii verba illud neceſſariò poſtulare falsò ſibi perſuaſerat. *Quod perſpicuè*, inquit, *ex antecedentibus ejuſdem doctoris verbis intelligi poteſt.* Hæc igitur Alcuini de ſuo loquentis interpretatio imminuere nullatenus valet authenticorum librorum, qui *adoptatur* exhibent, auctoritatem. Addit Alcuinus, antecedentia illa Hilarii verba, ſcilicet, *Sic per Magos cunarum ſordes adorantur, ſic vagitus per Angelorum divina gaudia honoratur..... Infans vagit? laudantes Angeli audiuntur, Panni ſordent? Deus adoratur*, ab ipſo Felice ſimul fuiſſe allata: *Quod tu ipſe*, inquit ad eum, *poſuiſti.* In quo certè hic hæreticus majorem ignorantiam præ ſe tulit, quàm malam fidem. Aliàs diligenter caviſſet, ne poneretur in medio tanti præſulis teſtimonium, in quo quod vilius à Filio Dei pro nobis ſuſceptum eſt, eo cultu adorationis, quæ ſoli Deo debetur, honoratum fuiſſe docet, *Cunarum ſorde*

adorantur : idque factum approbat, quia nimirum tanta eſt in Chriſto hominis Deique conjunctio, ut honor infanti in pannis jacenti exhibitus, Deo exhibeatur. *Panni ſordent? Deus adoratur.* Quibus verbis hæreſi Felicianæ quid magis adverſum magiſque contrarium proferri poſſet? Dividebat ille infelix epiſcopus, Alcuino teſte, *Chriſtum in duos filios, unum vocans proprium, alterum adoptivum; & in duos Deos, unum verum Deum, alterum nuncupativum Deum.* Hilarius verò in loco citato ita ſummam in Chriſto indiviſionem prædicat, ut & *cunarum ſordes adorentur*; & cùm adorantur, *Deus adoretur*: Deus, inquam, non nuncupativus, ſed ſimpliciter *Deus.* *Lib. 1. cont. Felic. p. 781.*

Si igitur eâ malitiâ fuiſſet Felix, ut vel falſato Hilarii loco, quem ipſe depravaſſet, cùm non adeſſet ullus verus, hæreſim ſuam tueri conaretur, aptiorem ſanè conſilio ſuo delegiſſet. Is enim nihil eum juvat, cùm verbo *adoptatur* non ſubjungatur, nec ſubintelligi poſſit *à Patre*: multùm verò nocet propter adjuncta, quæ quod animo intendebat, funditus deſtruunt. His tamen minimè conſideratis, verba Hilarii *dum carnis humilitas adoptatur*, non ſubjuncto *à Patre*

citat, & citat quidem cum præcedentibus, quamvis ea ipſi omnino adverſarentur: quod indicio propè certo eſt, eum uno verbo *adoptatur*, quod in Hilarii exemplari reperiſſet, adductum fuiſſe ut prædicta citaret; ac ſi abfuiſſet hoc verbum, numquam de eo ponendo fuiſſe cogitaturum. Ex epiſtola diſcipuli Elipanti apud Alcuinum pag. 910. augurari licet ingenium & ignorantiam magiſtri: nominatimque in congeſtis pag. 916. ex Miſſali Hiſpanico locis perſpicitur, quàm indiſcriminatim quæ *adoptionis* nomen continebant, quamvis nihil ad rem facientia, colligerent & obtruderent.

Quod ad codicem manuſcriptum attinet, in quo duæ ultimæ verbi *adoptatur* ſyllabæ loco eraſo videntur: id quidem duobus modis, ſine ulla codicis depravatione, fieri potuit, aut ſcilicet lapſu librarii, qui cùm primò *adoratur* pinxiſſet ob recentem, ut ſæpe fit, ejuſdem verbi proximè picti nondum deletam imaginem, poſtea exemplum relegens, erratum correxerit: aut etiam vitio membranarum non ſatis æquabiliter politarum. Re ipſa in eodem codice jam à verſu ſequenti alter locus, & in

tota pagina quinque alii, & ſic in ceteris, apparent, quos ſimiliter eraſos diceres, quamvis omni prorſus corruptionis ſuſpicione vacent. Hincmari tamen narrationi locum dediſſe videtur hic liber, malè intellectis ſuperiùs allatis Alcuini verbis, quibus Felix hunc locum depravatè citaſſe arguitur.

Sed & Hincmari narrationi fidem detrahit non ſolùm Alcuini, concilii Francofordienſis, aliorumque qui contra Felicem aut Elipantum ſcripſerunt, etiam occaſione datâ de ea non tacendi, ſilentium; verùm etiam Hincmari ipſius in ea referenda variatio. Nam ſecundùm præfationem libri ipſius de prædeſtinatione, ut vidimus, Felix unum Aquenſis palatii codicem corruperat: ſed ſecundùm librum de non trina deitate, jam non unum, ſed omnes quotquot arripere potuit, libros Hilarii depravavit. *Felix*, inquit, *Orgellitana quondam civitatis epiſcopus infelix in libro D. Hilarii, ubi idem ſanctus dixerat, Carnis humilitas adoratur, tempore Caroli Magni imperatoris, quoſcumque hinc codices arripere potuit, in omnibus adulteravit: Carnis humilitas adoptatur.* Ita ille intra modum ſe continere non valens, ſemper exaggerare

Lab. to. 7. Conc. pag. 1033.

P. 465.

amat. Niſi fortè quis Hincmarum ita ſecum conciliare malit, ut ille per intervallum quod inter librum de prædeſtinatione & Tractatum de non trina deitate interceſſit, plures re ipſa Hilarii libros conſuluerit, & cùm in nullo non offendiſſet *adoptatur*, id ex præconcepta opinione Felicis perfidiæ tribuendum cenſuerit potiùs, quàm ſummæ in exſcribendo archetypo librariorum fidei. Certè quos vidi ante ævum Alcuini & Hincmari exaratos codices, exhibent *adoptatur*. Plures etiam, poſt ipſos, fideliter eamdem lectionem retinuerunt: quam ſubinde à nonnullis, horum duorum virorum ſententiâ abreptis, immutatum fuiſſe nemini mirum eſſe debet; cùm pariter verſus, *Te trina Deitas*, diverſis in eccleſiis propter Hincmari ea de re Tractatum mutatus ſit.

Etiamſi circa hunc Hilarii locum jam diutius immorati ſimus, ad alium tamen tranſire priùs non licet, quàm quaſdam de innumeris ejuſdem doctoris retulerim aut certè notaverim ſententias, quibus Felicis hæreſim ante ejus ortum præverterit. Ait lib. „ 3. de Trin. n. 3. Qui cruci affixerant, „ verè Dei filium confitentur. Prædi-

cationi conſentit effectus. Dominus «
dixerat, *Clarifica filium tuum.* Non ſo- «
lùm nomine conteſtatus eſt eſſe ſe «
filium; ſed & proprietate, qua dici- «
tur *tuum:* multi enim nos filii, ſed «
non talis hic filius. Hic enim & ve- «
rus & proprius eſt filius, origine, «
non adoptione; veritate, *non nuncupatione*; «
nativitate, non creatione. Et lib. 6. «
n. 23. Patrem ſic inducit loquentem, «
Donavi ADOPTIONIS *plurimis nomen, ſed* «
hic filius meus eſt. Totum hunc locum «
concilium Francofordienſe adversùs Elipantum Felicis diſcipulum fuſiùs proſequitur, additque alios tum ex eodem libro, qui ut in noviſſima ejus editione ad lib. 2. n. 27. obſervatum fuit, totus eſt deinceps adversùs eos qui Chriſtum eſſe filium adoptivum volunt, tum ex libro 8. & aliis. Item Paulinus Aquileienſis epiſcopus lib. 3. adverſus Felicem Urgel. illum multis ejuſdem doctoris teſtimoniis revincit ex lib. VII. VIII. IX. X. XI. & XII. ſelectis, quæ conſultò prætereo, ne in re non dubia hærere videar. Reſtat tamen ſcrupulus eximendus. Erit fortè, cui in mentem veniat, Hilarium quidem libro 6. de Trinitate fere toto aliiſque in id incumbere, ut Chriſtum non adopti-

Tom. 7. concil. pag. 1042.

Apud Alcuin. pag. 1855.

vum, ſed proprium filium eſſe defendat: at in iis locis illum contrà Arianos hoc de Chriſto ſecundùm divinam ipſius naturam aſſerere, ſecundùm quam neque Felix Chriſtum proprium Dei filium negabat. Ut igitur hic ſcrupulus avellatur, eſt & illud adjungendum, eximium illum divinitatis Domini noſtri defenſorem non minùs acriter contra Chriſti diviſores, qui illum in duos filios partiebantur, quàm contra adoptionis aſſertores decertaſſe, uti tum ex pluribus locis, tum maximè ex libro 10. à numero 60. & deinceps manifeſtum eſt. Pergit exinde initio libri 11. hanc Domini unitatem ſeu indiviſionem tueri: atque ubi præmiſit n. 2. *Unus autem Dominus Chriſtus non nomine, ſed fide, unus eſt filius:* mox concludit, *Qui igitur aliter Chriſtum quàm eſt prædicabit, id eſt nec filium nec Deum eſſe, alium Chriſtum prædicabit.* Et lib. 12. n. 2. inſeparabilem fidei Spiritum dono unigeniti Dei ſibi adeſſe confidit in eo quod prædicat: *Noſtra verò tantùm hæc ſola religio eſt, Filium confiteri non adoptivum, ſed natum; neque electùm, ſed generatum.*

Hujuſmodi planis perſpicuiſque teſtimoniis Felicem à Paulino revictum eſſe certiùs conſtat, quàm neſcio

qua corrupti muneribus bibliothecarii junioris hiſtoriolâ. Qua tamen nixus Germonius poſtquam in Hilarii editores multa effudit; quod toto capite ſecundo ſe probaſſe putat, his complectitur verbis: Ex iis, quæ modò diximus, conſtat ab hæreticis aliiſque improbis hominibus adulterata fuiſſe olim quædam eccleſiaſtica monumenta. Tum quo conſilio hæc præmiſerit, nolens latere, ſubjungit: Quæ hîc præmiſſa volui, ne cui fortaſſe mirum videatur, ſi ego contendero inter manuſcriptos codices, quibus divi Auguſtini opera continentur, aliquos reperiri poſſe, & re ipſa reperiri, qui malitioſè & datâ operâ à perfidis hominibus corrupti ſunt. Hoc eſt, in id deinceps maximè intendit, ut in inſignis bibliothecæ Corbeienſis codices, eaſque editiones quibus illi, quamvis non ſoli, magno uſui fuerunt, ſuſpicionem falſi injiciat. *Pag. 169.*

Utinam eruditum virum excitare daretur Jac. Sirmondum, qui eximiæ hujus bibliothecæ meritum apprime noverat. Æquior erat, quàm ut tacere poſſet quanto ſibi ſuiſque ſtudiis præſidio fuerit. Recenſeret ſanè quot illa ipſi ſuppeditarit ex veteri-

bus monumentis, quorum editione nomen illius undique celebre evaſit; ac ſui officii eſſe duceret, inuſtam ei injuriam repellere, ejuſque ſuſcipere apologiam. Neque apologiſtam talem, puto, Germonius recuſaret. Sed quid eſt quòd tantum virum deſideremus? cùm quæ Diſceptator objectat, ea ſint, quæ à quolibet valeant nullo negotio refutari? Hoc jam experiamur.

CAPUT XI.

Quàm iniquè Germonius Gotheſcalcum Ratramnumque ut inſignes priſcorum corruptores unius Hincmari teſtimonio traducat.

PERVENIMUS ad caput tertium appendicis Germonianæ, cujus hæc ſumma: *Inter veteres manuſcriptos Auguſtini codices, aliquos reperiri, qui olim à falſatoribus corrupti fuerunt.* Quod ut aſſequi valeat, nullo recto tramite, ſed variis diverticulis latentibuſque cuniculis lectorem perducere conatur ad ſcopum.

Primum ejus opus, Gotheſcalcum atque

atque Ratramnum ut apertos veterum codicum falſatores traducere. Ad hoc verò ſibi ſufficere exiſtimat Hincmari in libro, quem de non trina deitate inſcripſit, de duobus illis monachis teſtimonium. Ac primùm quæ hujus libri fuerit occaſio ſic enarrat. Exarſit circa medium noni ſæculi (Pag. 371.) inter Hincmarum Remenſem archiepiſcopum, & Gotheſcalcum Ratramnumque, illum Orbacenſem, hunc Corbeienſem monachum, atque ipſorum aſſeclas, pertinax & cervicoſa contentio, utrùm quemadmodum dicitur Deus trinus & unus, ita dici poſſet trina & una deitas. Docebat Hincmarus deitatem nomen eſſe naturæ, neque illam magis dici catholicè poſſe trinam, quàm ipſam divinam naturam. Quamobrem in eccleſia ſua prohibuerat, ne recitaretur hymni clauſula quæ incipit ab illo verſu, *Te trina deitas, unaque poſcimus.* Contrà Gotheſcalcus & Ratramnus, ſuſcepta hujus verſiculi defenſione, contendebant deitatem poſſe dici *trinam & unam, unam ratione naturæ, trinam ratione perſonarum.*

Vel hinc deterreri debuiſſet Germonius, ne facilè admitteret quod Hincmarus in hujuſmodi opere teſti-

bus monumentis, quorum editione nomen illius undique celebre evaſit; ac ſui officii eſſe duceret, inuſtam ei injuriam repellere, ejuſque ſuſcipere apologiam. Neque apologiſtam talem, puto, Germonius recuſaret. Sed quid eſt quòd tantum virum deſideremus? cùm quæ Diſceptator objectat, ea ſint, quæ à quolibet valeant nullo negotio refutari? Hoc jam experiamur.

CAPUT XI.

Quàm iniquè Germonius Gotheſcalcum Rattamnumque ut inſignes priſcorum corruptores unius Hincmari teſtimonio traducat.

PERVENIMUS ad caput tertium appendicis Germonianæ, cujus hæc ſumma: *Inter veteres manuſcriptos Auguſtini codices, aliquos reperiri, qui olim à falſatoribus corrupti fuerunt.* Quod ut aſſequi valeat, nullo recto tramite, ſed variis diverticulis latentibuſque cuniculis lectorem perducere conatur ad ſcopum.

Primum ejus opus, Gotheſcalcum atque

atque Ratramnum ut apertos veterum codicum falſatores traducere. Ad hoc verò ſibi ſufficere exiſtimat Hincmari in libro, quem de non trina deitate inſcripſit, de duobus illis monachis teſtimonium. Ac primùm quæ hujus libri fuerit occaſio ſic enarrat. Exarſit circa medium noni ſæculi « inter Hincmarum Remenſem archie- « piſcopum, & Gotheſcalcum Ra- « tramnumque, illum Orbacenſem, « hunc Corbeienſem monachum, at- « que ipſorum aſſeclas, pertinax & « cervicoſa contentio, utrùm quemad- « modum dicitur Deus trinus & unus, « ita dici poſſet trina & una deitas. « Docebat Hincmarus deitatem no- « men eſſe naturæ, neque illam magis « dici catholicè poſſe trinam, quàm « ipſam divinam naturam. Quamob- « rem in eccleſia ſua prohibuerat, ne « recitaretur hymni clauſula quæ in- « cipit ab illo verſu, *Te trina deitas, unaque poſcimus.* Contrà Gotheſcalcus & « Ratramnus, ſuſcepta hujus verſiculi » defenſione, contendebant deitatem » poſſe dici *trinam & unam, unam ratione naturæ, trinam ratione perſonarum.* »

Pag. 371.

Vel hinc deterreri debuiſſet Germonius, ne facilè admitteret quod Hincmarus in hujuſmodi opere teſti-

monium adverſùs Gotheſcalcum & Ratramnum protuliſſet; hoc eſt, quod protuliſſet homo ingenio proprio in iram ſatis præceps, cujus in Eccleſia dignitas & in aula favor vitium indolis fovere & augere magis, quàm ſanare, idonea erant; in æſtu diſputationis, in quo vel moderatiſſimi quique intra juſtos æquitatis ac veritatis limites vix ſe continent; contra duos viros, quorum quodam modo juratus erat inimicus, adeoque contra quos teſtimonium illius ſecundùm omnes leges aut rejiciendum, aut nonniſi magna cum cautione admittendum erat. Illud tamen non modò non rejicit Germonius, ſed & velut oraculum ſequitur; atque eo contentus uno, duos religioſos viros invidioſiſſimo perfidiæ crimine commaculare non timet. Siccine ſervantur æquitatis ac juſtitiæ leges?

Præterea ſi numquam tutò auditur inimicus, longè minùs eſt audiendus, cùm ipſe falſæ cauſæ defenſor, falſi accuſat adverſarios, qui veram cauſam certò nôſcuntur propugnaſſe. Atqui Gotheſcalcus & Ratramnus cauſam veram tuebantur, Hincmarus verò falſam. Is enim conſecratum in Eccleſia uſum ca-

nendi, *Te trina deitas*, abrogarè prorſus volebat: reſiſtebant illi ejus novitati; eorumque interceſſionem non modò tum juſtam judicarunt inſignes eccleſiæ, quæ pleræque in hymno Martyrum nihil mutandum cenſuerunt; ſed & poſtea Eccleſia univerſa latina, verſum *Te trina deitas* in hymno S. Thomæ de auguſtiſſimo Corporis Chriſti ſacramento recipiens, ſuo judicio comprobavit. Quis igitur non iniquum cenſeat Germonium, qui veritatis defenſores eo falſi convictos adſtruit, quòd illos falſitatis aſſertor falſi inſimulavit?

Sed & ille quàm inconſideratè ſic cœpta proſequitur; *Utrimque æquali ardore pugnatum eſt, ſed non utrimque æquali fide*, hanc in Gotheſcalco, Ratramno ac ſociis defuiſſe ſubinde ſignificans. At in utro, quæſo, potiùs deſideranda fides? in Gotheſcalcone, qui unam & trinam deitatem ita ſe aſſerere profitebatur, *quia*, inquit, *ſancta Trinitas ſicut una eſſentialiter atque naturaliter, ſic procul dubio eſt perſonaliter trina deitas*; ut & damnaret atque anathematizaret hæreticos, qui prædicant coluntve tres Deos treſque deitates; an in Hincmaro, qui Gotheſcalcum poſt tam perſpicuam profeſſionem ſic *Apud Hincm. to. 1. p. 416.*

monium adversùs Gotheſcalcum & Ratramnum protuliſſet; hoc eſt, quod protuliſſet homo ingenio proprio in iram ſatis præceps, cujus in Eccleſia dignitas & in aula favor vitium indolis fovere & augere magis, quàm ſanare, idonea erant; in æſtu diſputationis, in quo vel moderatiſſimi quique intra juſtos æquitatis ac veritatis limites vix ſe continent; contra duos viros, quorum quodam modo juratus erat inimicus, adeoque contra quos teſtimonium illius ſecundùm omnes leges aut rejiciendum, aut nonniſi magna cum cautione admittendum erat. Illud tamen non modò non rejicit Germonius, ſed & velut oraculum ſequitur; atque eo contentus uno, duos religioſos viros invidioſiſſimo perfidiæ crimine commaculare non timet. Siccine ſervantur æquitatis ac juſtitiæ leges?

Præterea ſi numquam tutò auditur inimicus, longè minùs eſt audiendus, cùm ipſe falſæ cauſæ defenſor, falſi accuſat adverſarios, qui veram cauſam certò noſcuntur propugnaſſe. Atqui Gotheſcalcus & Ratramnus cauſam veram tuebantur, Hincmarus verò falſam. Is enim conſecratum in Eccleſia uſum ca-

nendi, *Te trina deitas*, abrogarè prorſus volebat: reſiſtebant illi ejus novitati; eorumque interceſſionem non modò tum juſtam judicarunt inſignes eccleſiæ, quæ pleræque in hymno Martyrum nihil mutandum cenſuerunt; ſed & poſtea Eccleſia univerſa latina, verſum *Te trina deitas* in hymno S. Thomæ de auguſtiſſimo Corporis Chriſti ſacramento recipiens, ſuo judicio comprobavit. Quis igitur non iniquum cenſeat Germonium, qui veritatis defenſores eo falſi convictos adſtruit, quòd illos falſitatis aſſertor falſi inſimulavit?

Sed & ille quàm inconſideratè ſic cœpta proſequitur; *Utrimque æquali ardore pugnatum eſt, ſed non utrimque æquali fide*, hanc in Gotheſcalco, Ratramno ac ſociis defuiſſe ſubinde ſignificans. At in utro, quæſo, potiùs deſideranda fides? in Gotheſcalcone, qui unam & trinam deitatem ita ſe aſſerere profitebatur, *quia*, inquit, *ſancta Trinitas ſicut una eſſentialiter atque naturaliter, ſic procul dubio eſt perſonaliter trina deitas*; ut & damnaret atque anathematizaret hæreticos, qui prædicant coluntve tres Deos treſque deitates; an in Hincmaro, qui Gotheſcalcum poſt tam perſpicuam profeſſionem ſic

Apud Hincm. to. 1. p. 416.

perſequitur, ut trium Deorum trium que deitatum aſſertorem? Quod de Gotheſcalco ex ipſius ſchedula, libro Hincmari de non trina deitate præmiſſa, liquidum eſt, hoc & de Ratramno & aſſeclis ſentiendum. Et in hoc igitur iniqua Germonii cenſura, quòd infidèles audire eos velit, qui quæ ſentiunt, ſimpliciter ac fideliter exponunt; ac laudat fidem adverſarii contrariam apertæ ipſorum profeſſioni ſententiam attribuentis.

Verùm longè iniquior eſt hæc prædictæ cenſuræ proximè ſubjecta ratio: *Identidem enim Hincmarus Gotheſcalco, Ra-*
Pag. 372. *tramno, atque ipſorum complicibus ac ſatellitibus, ut loquitur, audaciſſimam in falſandis vel detruncandis priſcis auctoribus perfidiam objectat.* Ac primò quidem, quia è regione verborum *ut loquitur,* notat Germonius *pag.* 414. adeo ipſam Hincmari paginam 414. utrùm re ipſa ibi quidpiam ſimile Gotheſcalco, Ratramno atque conſortibus exprobretur, conſulturus. Neque ibi quidquam offendo, quod probro ejuſmodi affinitatem habeat. Tantùm ibi audio Hincmarum, quo pacto Gotheſcalci ſchedula, contra quam eſt liber ipſius de non trina deitate, in manus ſuas devenerit, enarran-

tem ac dicentem : *Noviſſimè diebus iſtis hanc ſubjunctam ſchedulam , quæ ad nos communiter per complices ac ſatellites ſuos pervenit ,* (Gotheſcalcus) *inde conſcripſit.* Num lectori fucum facere Germonius , atque imponere voluit ? Dicet fortaſſe , ſe hoc in loco *pag.* 414. ideo tantùm indicaſſe , ut cùm eos qui Gotheſcalcum in defenſione locutionis *Trina deitas* ſequebantur, *complices ac ſatellites* appellat , ſe ſecundùm Hincmarum loqui ſignificaret.

Verùm hanc excuſationem quis accipiat ? Quis æquo animo ferat, *complices* affectata locutione appellari religioſos viros , quorum hac in cauſa id unum crimen erat , quòd novitati intercederent , & veritatem acriter tuerentur ? Hincmarus , quem malè locutum eſſe conſtat , corrigendus erat, non citra ullam neceſſitatem imitandus. Aut certè etiamnum licebit, locutioni *Trina & una deitas* hæreſeos notam inurere , quia eam illi inurere Hincmaro pridem placuit. Ac dicendus erit S. Thomas hæreſim in hymnos Eccleſiæ induxiſſe , dicenda & Eccleſia hæreſim in ore fidelium tolerare, dum hos hymnos cum verſu *Te trina deitas* inter præcipuam è ſollemnitatibus ſuis decan-

tari permittit ; quotquot denique fideles hos hymnos decantare amant, blaſphemi dicendi erunt ; *quia, ſi Hincmarum audis, deitas, quæ Trinitatis eſt unitas, trina perſonaliter intelligi, credi & dici non debet, ut blaſphemat Gotheſcalcus.* En in quo ſita erat tota Gotheſcalci blaſphemia, & quam ob cauſam Hincmarus in fronte libri ſui de non trina deitate eum ſcriptum eſſe prænotavit, *Ad repellendas Gotheſcalci blaſphemias* ; quia nimirum deitatem *naturaliter unam* credens, *trivam perſonaliter* aſſerebat. Neque mirum eſt Hincmarum, hac præjudicata opinione, ejuſdem ſententiæ conſortes *complices ac ſatellites* vocaſſe. At ſi eoſdem Germonius catholicè ſenſiſſe arbitratur, cur tam contumelioſo nomine pariter eos compellare affectat ?

Deinde, cùm quis à Germonio » audit, Identidem enim Hincmarus » Gotheſcalco, Ratramno, atque ipſo» rum complicibus ac ſatellitibus, ut » loquitur, audaciſſimam in falſandis » vel detruncandis priſcis auctoribus » perfidiam objectat : meritò ex variis illis locis, in quibus Hincmarus tam grave crimen objectat, aliquot ſelectos ſibi indicari exſpectet ; ac le-

gens ad marginem *paginam* 414. notatam, ibi maximè id quod aſſerit Germonius, ab Hincmaro confirmari vix dubitat. Quiſquis ita putat, turpiter fallitur: an verò contra ſpem Germonii fallitur? Neque aliunde impoſitum videtur Gallici Eruditorum Diarii curatori, ut diceret *, Corbeienſis bibliothecæ codices, cùm circa Ratramni tempora ſcripti ſint, eo magis ſuſpectos eſſe debere, quòd Hincmarus repræſentet Ratramnum & alios Gotheſcalci ſectatores velut inſignes corruptores. Sed de his infrà aptiùs dicetur.

Poſtremò nullum Germonius in medio ponit locum, in quo Hincmarus audaciſſimam illam in falſandis priſcis auctoribus perfidiam Ratramno aliiſque Gotheſcalci fautoribus objectet: in iis enim quos profert, hos ille tantùm patrum dicta detruncaſſe conqueritur. Immo neque ipſi Gotheſcalco perfidiæ crimen Hincmarus *identidem*, ſed ſemel; non ex certa notitia, ſed ex

* *Cette epoque doit rendre ces manuſcrits d'autant plus ſuſpects, que Hincmar depeint Ratramne & les autres ſectateurs de Goteſcalc comme d'inſignes falſificateurs.* 7. Juin an. 1706. pag. 344.

opinatione, quam falſiſſimam fuiſſe mox oſtendam, objectat. Et hinc igitur rurſum manifeſta eſt Germonii iniquitas, ut qui non modò Gotheſcalcum ac ſocios uno adverſarii teſtimonio damnare aggrediatur; ſed & hoc ipſo abutens, graviora illis quàm quæ adverſarius ipſis objectet, affingat. Quàm autem falſa Hincmari adversùs Gotheſcalcum de corrupto codice ſuſpicio fuerit, quàm non ſatis accurata ac fidelis Germonii in exponendis Hincmari ſententiis diſceptatio ſit, exploremus.

CAPUT XII.

Gotheſcalcum ab Hincmaro ex mera ſuſpicione adulterati codicis inſimulatum eſſe. Germonii in hac re enarranda deſiderari ſinceritatem. Temeraria ac prorſus falſa Hincmari ſuſpicio; & Gotheſcalci integritas demonſtratur.

ALIIS in diſputationibus videre eſt Hincmarum, ubi ſe aliquo patrum teſtimonio impeditum cernit, adulteratum eſſe contendendo,

ſe ſe expedire ſolere. Hac certè via in libro de non trina deitate adversùs Gotheſcalci objecta ſe ſe munire nititur. Trinam dici poſſe deitatem neganti, objiciebat Gotheſcalcus conciliorum atque patrum veterem uſum, nominatimque hunc edicti Conſtantini in concilio VI. recitati locum: *Amplectimur ſanctas & univerſales quinque ſynodos, quæ in Nicaná* CCCXVIII. *patrum, qui adversùs Arianam conſederunt inſaniam, qui cooperante* TRINA *& conglorificanda deitate, ſacrum fidei ſymbolum terminarunt.* Apertè *trina deitas* in hoc loco prædicatur, nec eſt unde ejus vis effugiatur, niſi negetur ſincerus. Eò etiam ſe recipit Hincmarus, non ſine aliqua formidine ſuam ea de re opinionem ita exponens: *Hoc nomen feminini generis, adjectivum ac mobile, quod eſt hic impoſitum* TRINA, *à Gotheſcalco, quando præfatus liber in monaſterio Altivillaris, ubi ipſe morabatur, ex authentico, quem mihi Petrus epiſcopus Aretinus commodaverat, ſcriptus eſt, adulteratum credimus*; hoc moderatus, quòd *credimus* ait, non *ſcimus*, ut pote ex mera opinatione & conjectura, non ex certa notitia locutus. Si verò eamdem rem inferiùs paulo certiùs videtur aſſerere, ubi ait, *Gotheſcalcus veritatem, quantum in ipſo eſt,*

To. 6. concil. p. 1096.

P. 465.

in mendacium commutavit, TRINA pro TER *vel* TRINITATIS DEITATE *in ſexta ſynodi edicto commutans*; ſtatim dictum corrigit ac temperat proximè

Ibid. ſubjungens, *Nam & ſi ita, ut ab eo adulteratum credimus*, ſubveritus dubio procul, ne ſi rem ſibi incertam certiùs aſſereret, mendacii facilè convinceretur.

Et verò rem ab eo creditam vel ea quæ narrationem ejus circumſtant parum credibilem faciunt. Quis enim credat à Gotheſcalco adulteratum eſſe librum, non proprium, ac ne monaſterii quidem in quo detinebatur, ſed Hincmaro ex archetypo quod ipſi epiſcopus Italus commodaverat, deſcriptum? Quis ſibi perſuadeat, hanc Gotheſcalco poteſtatem factam fuiſſe *in monaſterio Altivillaris*, hoc eſt in loco Hincmari ditioni ſubdito, ab ipſius metropoli vix quatuor leucas remoto, quem Hincmarus ut Gotheſcalcum tutiori in cuſtodia haberet, delegerat, cùm nulli fideret, qui Rothado Sueſſionenſi proprio Gotheſcalci epiſcopo obſequeretur? Res Gotheſcalci cùm ita ſe haberent, neque Altivillarenſes monachi librum Hincmaro deſtinatum Gotheſcalco credere, neque hic

eumdem adulterare auſus eſſet; facile enim fuiſſet huic præſuli falſitatem detegere, atque hujus criminis, conſulto archetypo quod jam ipſi epiſcopus Aretinus commodaverat, Gotheſcalcum convincere. Neque hanc revincendi adverſarii rationem neglexiſſet, qui eadem in cauſa, locum alterum ſibi objectum rurſum falſi ſuſpicatus, quàm plurimos libros circumquaque conquiri & ad ſe deferri curavit. Hincmarus itaque edictum Conſtantini à Gotheſcalco adulteratum certò aſſerere prudens timuit: atque ea illius fuit formido, ut aliud effugium, quo vim objecti declinaret, excogitarit.

Audacior Germonius facinus pro certo ponit, ac nullâ hujus formidinis mentione factâ, abſolutè dicit: *Conqueſtus eſt Hincmarus codicem novum, in quo hæc legebantur, adulteratum fuiſſe à Gotheſcalco.* P. 373. Sinceritas poſtulabat, ut *Opinatus eſt*, non *Conqueſtus eſt* diceret: ac præterea deſiderabat æquitas, ut quo niteretur illa opinatio, diligenter excuteret. Sed ſi id præſtaret Germonius quod ſinceritas æquitaſque poſtulant, totum illius conſilium quò evaderet? Hoc in primis ſibi propoſuerat perſuadere, Gotheſcal-

cum inſignem eſſe, ut cùm Gallicis litteratorum ephemeridibus loquar, veterum adulteratorem, atque is unus ei ſuppetebat locus conſilio ſuo aptus, modò nonnihil diſſimularet. Si igitur ſimpliciter faſſus eſſet, Gotheſcalcum Hincmaro uni, eique tantùm ſemel, in ſuſpicionem veniſſe adulterati codicis; hunc ſuſpicionem ſuam opinando dumtaxat, non aſſerendo teſtari; demum hanc opinationem probè perpenſam nulla ratione niti: nonne de ſententia prorſus deſiſtendum ei erat?

Hincm. to. 1. p. 450. Pergit Hincmarus rationem reddere, cur in edicto Conſtantini *ter conglorificanda*, pro *trina & conglorificanda*, legendum eſſe ſuſpicetur. *Quoniam*, inquit, *alibi ter conglorificanda deitate reperimus.* Pergit & Germonius verba auctoris ſui immutare, atque mox allatam illius ſententiam ſic reddit: *Teſtatur verba iſta*, TRINA ET CONGLORIFICANDA DEITATE, *non alibi legi*. *Germ. p. 373.* Aliud porro eſt, *Alibi ter conglorificanda deitate reperimus*; & aliud, *Alibi trina & conglorificanda deitate non leguntur*. Ex verbis autem Hincmari jam allatis conſtat, hoc unum illi in hac locutione, *trina & conglorificanda deitate*, diſplicuiſſe, quòd adjectivum feminini generis

trina cum ſubſtantivo *deitas* jungeretur. At verò Gotheſcalcus libello ad Hincmarum deſtinato probavit id veteribus uſitatum, ac reperiri apud Proſperum, *trina majeſtas*; apud Prudentium, *trina pietas*; (agnoſcit & Hincmarus [a] apud eumdem [b] haberi, *Deus trinum ſpecimen, vigor unus*;) apud Aratorem, *trina poteſtas*: ac de his omnibus Hincmarus convenit, hoc unum videlicet contendens, hos ſcriptores ad ita loquendum *neceſſitate metri* fuiſſe adactos. Quaſi verò locutionis hæreticæ atque blaſphemæ uſum neceſſitas metri excuſare umquam valeret. Sed dum de his omnibus convenit, Germonium neceſſe eſt diffiteatur, qui ſe teſtatum eſſe ſcribit, quod certè ibi non teſtatur.

a *Pag.* 466.

b *Præf.* 1. *in Apotheos.*

Infirma quidem admodum hæc ratio Hincmari, ideo in edicto Conſtantini legendum eſſe *ter conglorificanda deitate*, quia alibi eamdem lectionem reperire ſit; & opinatio, tam levi nixa ratione, valde ipſa levis eſt. Nullam tamen aliam Hincmarus affert, & hac una ſe ſatis fultum Germonius putat, quo Gotheſcalci aliorúmque fidem publicè labefactet.

Quidquid verò opinatus ſit Hincmarus; quidquid Germonius aſſerue-

rit, edicti Conſtantini verba à Gotheſcalco ſumma fide expreſſa ac citata eſſe evincunt, quotquot exſtant concilii ſexti exempla. Editiones veteres ac novæ ſummo conſenſu exhibent ſecundùm Gotheſcalcum, *trina & conglorificanda deitate*; nec in ulla firmatur Hincmari conjectura, qua mallet, *ter conglorificanda deitate*, aut *Trinitatis conglorificanda deitate*.

Quantum ad levandam à Gotheſcalco atque removendam omnem adulterati codicis ſuſpicionem hoc valeret, Germonius præſentit, atque argumento quod hinc conficere facile
P. 373. eſt, ſic occurrere nititur: *Quia non intellectam à ſe linguam græcam videtur fateri Hincmarus, dicendum eſt latinos codices, qui nunc habent lectionem Gotheſcalci, tunc habuiſſe lectionem Hincmari.*

Linguæ græcæ intelligentiâ quid opus eſt, ubi de expendenda ſinceritate codicis agitur, quem è latino exemplari expreſſum eſſe certum eſt? Quamquam etiam ex græco textu Gotheſcalci fides, ſeu verſionis ab ipſo adhibitæ integritas mox confirmabitur.

Sed quid ſibi vult, *Dicendum eſt, latinos codices, qui nunc habent lectionem Gotheſcalci, tunc habuiſſe lectionem Hincmari?*

Quo, quæſo, auctore dicendum? An de ſuo Diſceptator id dicendum ſumit? Hoc illi fingere, ſi nihil ea de re locutus eſſet Hincmarus, ac dicere fidentiùs licuiſſet. Dixiſſet falsò: ſed falſitas minùs apertè retegi revincique potuiſſet. At ſi Germonius latinos codices, qui nunc habent *trina & conglorificanda deitate*, quæ lectio eſt Gotheſcalci, aliquando habuiſſe *ter conglorificanda deitate*, quæ Hincmari eſt lectio, hoc præſule auctore ſe dicere poſſe putet; aut ſe eum non legiſſe, aut ſi legerit, lectorum credulitate ſe abuti potiùs, quàm hoc perſuaſerit. Id enim jam non relinquitur dicendum, poſtquam Hincmarus ipſe codicem, qui Gotheſcalci lectionem non haberet, nullum ſe vidiſſe non obſcurè ſignificavit. Et verò quid aliud innuit, cùm iis qui Gotheſcalci lectionem in vetuſtis aliis exemplaribus circumferri contenderent, tam ſollicitè occurrere conatus, non id quod contenderent inficiatur, non vetuſtis codicibus alios prætendit vetuſtiores aut æquales, qui quam maluiſſet lectionem exhiberent: ſed alia qua valet ratione ab incommodo loco ſe extricare & expedire nititur in hunc modum: Nam & ſi ita, inquit, ut ab«

Hinc-mar. pag. 465. „ eo adulteratum credimus, ex græca „ interpretatione in eodem haberetur „ edicto, vel ſi in aliis libris vetuſtis „ ita ab aliquibus haberi contenditur; „ nec ſic quiddam ſuffragii ex hoc Go„ theſcalci vel ejus complicum adin„ ventio potietur: quia græcitas idio„ mate ſuæ linguæ quædam rectè po„ teſt, quæ latina lingua maximè de his „ quæ pertinent ad fidem, non recipit.

Dicendum igitur, veriùſque dicendum eſt, 1°. librum à Gotheſcalco citatum nullam præ ſe corruptionis notam tuliſſe; aliàs neque hoc ſiluiſſet Hincmarus, ac ne cum eo conſentirent etiam alii, minùs timuiſſet: 2°. nullam aliam huic præſuli, ut hunc depravatum vellet, fuiſſe cauſam, niſi quòd præjudicatæ ipſius opinioni repugnaret; eumdemque hac una ratione permotum eſſe, ut Gotheſcalcum depravationis opinaretur auctorem, quia ille eo libro efficaciter adversùs ſe uteretur: 3°. aliquos tum exſtitiſſe, vel certè Hincmarum præſenſiſſe futuros, qui lectionem à Gotheſcalco citatam *in aliis libris vetuſtis haberi* contenderent; ipſi autem ullum librum, quem illis opponeret, defuiſſe: 4°. prædictum præſulem, in quodam animi æſtu fluctuantem, de

ſuſpicione,

ſuſpicione, quam Gotheſcalco adſperſerat, quodam modo deſtitiſſe, ut ad declinandam auctoritatem loci, quem falſatum confirmare nequibat, pro poſſe incumberet : uno verbo Gotheſcalci in ea cauſa fidem ab omni labe immunem, falſam Hincmari opinationem, & iniquam Germonii eſſe aſſertionem. Is cùm tam aſſeveranter dixit, *Dicendum eſt, latinos codices, qui nunc habent lectionem Gotheſcalci, tunc habuiſſe lectionem Hincmari*, quid qua ratione diceret non attendit, à ſe ne ſuum quidem Hincmarum diligenter lectum eſſe patefecit ; atque hac ingenii ſui fecunditate, ac facilitate dicendi quidquid in mentem veniret, juſtam lectoribus præbuit ipſius dictis diffidendi cauſam, ac niſi conſultis locis, quibus niti videtur, ea non recipiendi.

Quæ cùm ita ſint, de liberanda Gotheſcalci fide cùm jam non agatur, reſtat excutiendum, utrùm Hincmaro quidquam proficere valeat, quod ut ſe adversùs concilii ſexti auctoritatem præmuniret excogitavit. Eſto enim, græci ſermonis quædam ſit proprietas, quæ latinè reddita nonnihil aliud ſonet ; cur ex vetuſtis hujus concilii latinis libris, in quibus

jam tum habebatur *trina & conglorificanda deitate*, Gotheſcalci ac ſociorum ſententiæ de locutione hujuſmodi non rejicienda nihil inde ſuffragii accedet? Hinc certè conſtat, vetuſto hujus ſynodi interpreti legitimam atque orthodoxam viſam eſſe hanc loquendi rationem, eamque tum ab omnibus ſine ulla contradictione fuiſſe receptam; ut & ex codicibus qui ad nos pervenerunt, liquet eam numquam recipi deſtitiſſe. Quapropter eam ut jam auctoritate firmatam Gotheſcalco propugnare licuit; quomodo & nunc ut multorum ſæculorum uſu tritam tueri ac uſurpare licet. Sed & hoc Hincmari effugium ad primigenium textum ei præſidio nihilo majori eſſe valet. In græco enim textu idem ordo, eadem vis, eademque eſt poteſtas verborum.

Verùm etiamſi daretur, quod tamen non eſt concedendum, locutionem hanc *trina deitas*, græco quidem ſermone commodè unam deitatem ac tres perſonas ſonare, communi autem latini ſermonis uſu tres deitates ſignificare; poſtquam Hincmarus alium uſum non alia fide obtinuiſſe audiiſſet, nominatimque Gotheſcalcus ſe hac loquendi ratione

non tres deitates, ſed unam deitatem ac tres perſonas intelligere & credere conceptis verbis declaraſſet, æquitatis erat nullam ei ampliùs ea de re controverſiam movere. Quantò rectiùs eſſet imitatus Auguſtinum, qui quantumvis abhorrere à Latinorum uſu ac fide ſciret, tres in Deo dicere aut credere ſubſtantias, ubi tamen Græcis tres ſubſtantias, id quod nobis tres perſonas, eſſe certò didicit, hunc Græcorum uſum non modò non rejecit, ſed etiam in latino ſermone ſe ei deinceps accommodavit? *Quod enim de perſonis ſecundùm noſtram, hoc de ſubſtantiis ſecundùm Græcorum conſuetudinem ea quæ diximus oportet intelligi. Sic enim dicunt illi tres ſubſtantias, unam eſſentiam, quemadmodum nos dicimus tres perſonas, unam eſſentiam vel ſubſtantiam.* *Auguſt. lib. 7. de Trin. n. 8.*

Verùm indulgentiâ hujuſmodi non indigebat Gotheſcalcus, utpote veterem ſecutus interpretem, qui & textum græcum fideliter reddidit, & nihil elocutus eſt, quod Latinorum ut Græcorum uſui non conſentiret. Contrà Hincmarus aliam lectionem ſuggerit, non quam in aliquo libro invenit, ſed quam proprio ingenio confinxit; nulla ratione fultam, ſed

præjudicatæ opinioni accommodatam : & ut conjecturam ſeu potiùs divinationem firmet , ad græcam confugit linguam, quam tamen non conſulit, quamque à ſe non intellectam Germonio ipſi videtur fateri. Illuſtris viri nomini, veritatis ſtudio abreptus, non ſatis parcere forſitan videar: ſed hæc obſervanda neceſſariò fuerunt, ut quibus oraculis Germonius credi velit, nemo non adverteret. Qui immodica alicui cum æquitatis diſpendio tribuit, is cogit detrahere in quo excedit, ut ſervetur æquitas, aut reparetur.

Suam ipſius cenſuram de Gotheſcalci deque Hincmari lectione, utra græcæ magis conſentanea ſit, eruditus Diſceptator nos ignorare noluit. In græco legere eſt συνεργίᾳ τῆς τριαδικῆς καὶ ὁμοτίμου θεότητος. Vertit antiquus interpres, quem Gotheſcalcus ſecutus eſt, *cooperante trina & conglorificanda deitate.* Hincmarus opinatur pro *trina & conglorificanda deitate*, legendum eſſe *ter conglorificanda deitate.* Cenſor Germonius continuò ſententiam pro Hincmaro dicit in hunc modum: *Quæ quidem poſtrema lectio græci textùs ſenſum fideliùs & accuratiùs exprimit.* Sed valde vereor, ne ſi ex hoc ſpecimine

de illius ſcientia dijudicare liceat, pace illius dixerim, ipſe linguam græcam non magis quàm Hincmarus calluiſſe videatur.

Quid enim antiqui interpretis à Gotheſcalco laudata verſione *fidelius* aut *accuratius* excogitari poteſt? In hac eadem verborum latinorum atque græcorum quantitas, hoc eſt quatuor græca quatuor latinis reddita; eadem qualitas, hoc eſt adjectiva adjectivis, & ſubſtantivum nomen ſubſtantivo, expreſſa; verborum mutua inter ſe relatio eadem, ita ut quod græcè ad deitatem, ad eamdem etiam latinè referatur. Contrà lectio, quam maluiſſet Hincmarus, in his omnibus peccat. Nam particulam καὶ non exprimit, adjectivum τριαδικῆς in adverbium *ter* commutat, demùm cùm idem adjectivum τειαδικῆς græcè ad nomen θεότητος proximè referatur, adverbium *ter* ei ſubſtitutum ad verbum *conglorificanda* refert. Jam verò utrùm *ter conglorificanda deitate* Trinitatis myſterium, quod græcus textus animo exhibet, æquè perſpicuè, atque *trina & conglorificanda deitate*, exprimat, quiſque viderit.

Ceterùm nemo non videt, nomen adjectivum τειαδικῇ à ſubſtantivo τειὰς

τριάδος deductum eſſe; & cùm τριὰς Trinitatem ſonet, adjectivum τριαδικὸς nullo aptiore quàm vocabulo *trinus* potuiſſe exprimi. Et hoc quidem vocabulum τριαδικὸς unus ſibi eccleſiaſticus uſus vindicat, ea quæ deitati ob perſonarum Trinitatem conveniunt, exprimendi neceſſitate inventum. Sed de grammaticis jam ſatis.

Interim dum Hincmarus adversùs concilii V I. auctoritatem ſe præmunire in caſſum conatur, dum Germonius aliam excogitat evadendi viam ipſi auctori ſuo Hincmaro atque veritati contrariam, Gotheſcalcus falsò inſimulatus, etiamſi inauditus, ex ipſis adverſariorum ſcriptis cauſam obtinet. Fidem ejus integram omnia hujus concilii exemplaria græca & latina, antiqua recentiaque conclamant. Quid igitur Germonio prodeſt tam multa ficta aut falſa intra mediam paginulam 372. & ſequentem 373. aſſeruiſſe, quò ad ſcopum utcumque perveniret?

Primùm, ut illa paucis perſtringam, in medium adducit, in diſputatione illa, utrum *trina deitas* dicenda eſſet, necne, non pari à Gotheſcalco atque ab Hincmaro fide eſſe pugnatum; cùm potiùs in Hincmaro fides deſideretur.

Deinde ſubjicit: *Identidem enim Hincmarus Gotheſcalco, Ratramno atque ipſorum complicibus ac ſatellitibus, ut loquitur, audaciſſimum in falſandis vel detruncandis priſcis auctoribus perfidiam objectat*, nec ullum citat locum niſi unum, in quo Hincmarus nihil prorſus horum objectat.

Tertiò, cùm unum Gotheſcalcum uno tantùm in loco Hincmarus ex mera ſuſpicione adulterati libri inſimulet; Germonius ſublatâ opinationis & incertæ ſuſpicionis notâ, abſolutè ponit: *Conqueſtus eſt Hincmarus codicem novum, in quo hæc legebantur* (quæ Gotheſcalcus objectabat,) *adulteratum fuiſſe à Gotheſcalco.*

Quartò ubi Hincmarus *ter conglorificanda deitate*, pro *trina & glorificanda deitate*, legendum eſſe conjectans, hanc conjecturæ ſuæ rationem dat, *Quoniam alibi ter conglorificanda deitate reperimus*; Germonius hæc auctoris ſui verba ſimpliciter referre aut indicare non contentus, ea ſic interpolata & in alienum ſenſum detorta reddit: *Teſtatur verba iſta* TRINA ET CONGLORIFICANDA *deitate non alibi legi, ſed iſtorum loco hæc alia* TER CONGLORIFICANDA DEITATE *reperiri*.

Quintò verbis proximè allatis

ſtatim ſubjicit : *Quæ quidem lectio græci textus ſenſum fideliùs & accuratiùs exprimit*, græcæ linguæ rudibus, aut quibus per otium conſulere textum græcum non vacat, imponens : cùm lectio à Gotheſcalco laudata græci textus ſenſum fideliſſimè & accuratiſſimè exprimat ; contrà Hincmari conjectura ab eo recedat.

Sextò ad coronidem, quaſi Hincmaro allatâ à Gotheſcalco concilii VI. auctoritate impedito ſubventurus, adjungit : *Sed quia non intellectam à ſe linguam græcam videtur fateri Hincmarus, dicendum eſt latinos codices, qui nunc habent lectionem Gotheſcalci, tunc habuiſſe lectionem Hincmari* : futile prorſus & inutile ſubſidium ſubminiſtrans, cùm jam Hincmarus nullum ſibi codicem latinum fuiſſe ſignificaverit, qui lectionem ſuam haberet, nullum qui lectionem Gotheſcalci non repræſentaret.

Non minùs à rerum geſtarum veritate remotum eſt quod ſequitur : ſed jam prolixius caput claudendum eſt. In his quàm fidelis aut accuratus ſit Diſceptator apparet. Næ ſi talia excidiſſent, vererer admodum, ne blanda ille pro innata ſibi comitate præfatus, & velut juſto bonæ fidei ſtu-

dio incenſus, perfidiæ atque calumniæ, fraudis & impoſturæ me argueret. Mihi verò Gotheſcalcum omni culpa eo in capite liberum demonſtraſſe ſufficiat, nunc ad Ratramnum pergo.

CAPUT XIII.

Nihil eſſe cur Germonius Ratramno perfidiæ labem inferat.

INTERMISSUM caput Germonius ſic proſequitur: *Præterea Ratramnus, ne amico ſuo* (Gotheſcalco) *hac in occaſione deeſſet, ex libris beatorum Hilarii & Auguſtini volumen quantitatis non modica compilavit, miſitque ad Hildegarium Meldenſem epiſcopum.* Si autem Hincmarum ſuum aliquanta cum attentione legiſſet; non dixiſſet Ratramnum, ne amico ſuo Gotheſcalco jam cum Hincmaro de trina deitate dicenda concertanti deeſſet, ſuum librum ad Hildegarium ſcripſiſſe. Ipſe enim Hincmarus ab initio prologi de non trina deitate declarat, librum Ratramni ad Hildegarium antè ſcriptum eſſe, quàm ullam cum Gotheſcalco propter mutatum verſum, *Te*

Hincm. to. 1. p. 413. *trina deitas*, diſceptationem haberet. Quippe primùm narrat, aliquos eam ob cauſam adversùs ſe ſcriptitaſſe; ac deinde nominatim notat Ratramnum. Tum lucubrationis ipſius datâ notitiâ, ſubdit: *Hæc autem audiens Gotheſcalcus...... inde plurima ſcribere, & ad quoſcumque potuit primùm latenter, deinde quantum ſibi licuit, apertè mittere procuravit.* Hæc obſervaſſe ad noſtram cauſam forſitan videatur ſupervacaneum: ſi tamen id ſupervacaneum, quo oſtenditur Diſceptator nullum rerum ordinem, nullam regulam ſequi; ipſum auctorem ſuum leviter admodum legiſſe, aut certè ab eo pro libitu recedere; omnia denique ex proprio ingenio & affectu ſcriptitare.

Id probaturus quod de Ratramno nominatim aſſeruerat, *Identidem Hincmarus Gotheſcalco, Ratramno atque ipſorum complicibus ac ſatellitibus, ut loquitur, audaciſſimam in falſandis vel detruncandis priſcis auctoribus perfidiam objectat*, unum hunc ſummatim profert Hincmari locum ex prologo libri de non trina deitate: Ratramnus Corbeiæ monaſterii monachus ex libris beatorum Hilarii & Auguſtini, dicta eorumdem detruncando, & ad pravum ſuum ſenſum incongruè inflectendo,

Germ. p. 372. *P. 374.* *To. 1 p. 415.*

ſicut & Macarium Antiochenum epi- "
ſcopum de quàm plurimis Catholi- "
corum libris feciſſe in VI. ſynodo le- "
gimus, ex hoc volumen quantitatis "
non modicæ ſcribens ad Hildegarium "
Meldenſem epiſcopum compilavit. "
Cujus perverſam intelligentiam ipſa "
ejus collectio ſcriptis authenticis "
collata, mendacio redarguit & re- "
vincit, veluti qui legerit, apertiſſimè "
pervidebit. Integrum deſcribendum "
duxi, ne reticuiſſe quidpiam viderer. Inſuper & moneo eadem in ejuſdem operis corpore paucioribus repeti. *p.* 450. At in utroque illo loco quis ullum deprehendat verbum, quo Hincmarus Ratramno *audaciſſimam in falſandis priſcis auctoribus perfidiam* objectet? In ſecundo ne detruncationum quidem meminit.

Si reſponderit Germonius hæc verba, *Identidem Hincmarus Gotheſcalco, Ratramno &c. audaciſſimam in falſandis vel detruncandis priſcis auctoribus perfidiam objectat*, ita à ſe compoſita, ut *falſandi* in unum Gotheſcalcum, in Ratramnum autem & ſocios *detruncandi* dumtaxat accuſatio cadat: primò fateatur neceſſe eſt hanc verborum compoſitionem fraudulentam eſſe, & quæ legentes, non dicam ſimplices & incautos,

ſed & eruditos ac prudentes in errorem facilè inducat. Neque longè quærendi aut exſpectandi ſunt hujus rei teſtes; adſunt jam non privati, ſed publici, eruditi nimirum illi viri, qui Gallicæ litteratorum ephemeridi præſunt. Si enim Germonius dicere noluit, ut Gotheſcalco, ita & Ratramno ac ſociis ab Hincmaro objectatam eſſe audaciſſimam in falſandis priſcis auctoribus perfidiam, profectò decepti ſunt illi, qui verba ipſius ſic noſtrâ linguâ reddiderunt: *Hincmar depeint Ratramne & les autres ſectateurs de Goteſcalc comme d'inſignes falſificateurs.* En Ratramnus, immo & alii qui Gotheſcalco adhærebant, ut inſignes adulteratores ſcriptorum habiti.

7. Juin 1706. p. 344.

Demum Ephemeridum Trivultianarum ſcriptores, qui genuinam Germonii ſententiam ignoraſſe nulli facilè videbuntur, hunc eumdem locum ſic exprimunt: *L'auteur vient en particulier aux manuſcrits des ouvrages de S. Auguſtin, & il fait voir qu'au* IX. *ſiecle Gotheſcalc &* SES AMIS, *ne faiſoient pas ſcrupule de les corrompre en diverſes manieres pour y inſerer leurs opinions.* Et ſecundùm illos igitur Diſceptator non Gotheſcalcum ſolum, ſed & ipſius amicos, quos inter Ratramnum præcipuum

Juin 1706. p. 1002.

recenſet, falſatorum Auguſtini codicum reos facit.

Verùm eruditi viri ſe ſe nequaquam deceptos, ſed Germonii mentem probè aſſecutos eſſe hinc, uti jam prænotavi, confirmabunt, quòd ipſius ſcopus atque conſilium eò tendit, ut in Corbeienſes codices & in editiones ad eos recognitas falſi ſuſpicionem injiciat. Nec alia ei ſubeſt ſuſpicionis hujus injiciendæ ratio, niſi quòd Hincmarus Ratramnum velut perfidum & in falſandis priſcis auctoribus audaciſſimum depinxit. Si igitur nihil umquam hujuſmodi Hincmarus de Ratramno dixerit, totum illius neceſſariò evaneſcit conſilium ac funditus ruit: adeoque Germonio neceſſe fuit, quo colorem aliquem conſilio ſuo induceret, hoc de Ratramno Hincmari nomine ſpargere.

Hincmarus tamen Ratramnum tanti criminis numquam arguit, non in loco, quem Germonius profert, non in altero à me indicato, non in ullo alio. Uterque igitur de ſtructa ſibi calumnia meritò expoſtularit; Ratramnus quidem, quòd atrox crimen falsò ſibi obtendatur, Hincmarus verò, quòd falſæ hujus crimi-

nationis auctor non minùs falsò aſſeratur.

Hincmarus itaque Ratramno hoc unum exprobrat, quòd Hilarii & Auguſtini dicta detruncarit, & ad pravum ſuum ſenſum incongruè inflexerit. Quod ab adverſario in æſtu diſputationis dictum, non magnam ei apud æquos rerum æſtimatores injuriam inurit; maximè cùm aliunde certum ſit, quem Hincmaro *pravum ſenſum* vocare placet, eum eſſe rectum atque veritati conſentaneum.

Illud præterea obſervo, ex iis excerptis, quibus Ratramnus librum ſuum compilaſſe dicitur, nullum ſpeciatim ab Hincmaro in prolixiſſimo opere de non trina deitate aut alibi reprehenſum eſſe. Si in eis tantum mali, quantum Hincmarus ſuadere conatur, admiſſum eſſet; contentuſne fuiſſet hac generali & vaga nota-
P. 450. tione, *cujus compilatio evidenter compilatoris ſui demonſtrat mendacium?* Nonne hoc etiam aliquo ſaltem exemplo demonſtraſſet? Nec juverit reſpondere, opus illud de non trina deitate contra Gotheſcalcum nominatim eſſe ſuſceptum. Fatetur enim Germonius, Gotheſcalcum & Ratramnum in ejuſdem cauſæ defenſione fuiſſe ſoe-

deratos ; & ex Hincmari prologo & conſequente opere planum eſt, Ratramni lucubrationem ipſi haud minùs diſplicuiſſe, quàm Gotheſcalci.

Denique ut mox vidimus, Ratramno Hincmarus duo exprobrat: primum quòd Auguſtini & Hilarii dicta detruncarit, alterum, quòd ea ad pravum ſuum ſenſum inflexerit. In eo autem, quòd detruncata ab illo dicta objecerat, non inſiſtens, totum ſe ad alterum caput ſuadendum confert. In hoc unum cadit illud, *Cujus perverſam intelligentiam ipſa ejus collectio, ſcriptis authenticis collata, mendacio redarguit & revincit, veluti qui legerit, apertiſſimè pervidebit.* Ibi enim de ſola intelligentia dictorum ſermo eſt. Quæ quidem intelligentia cùm ſolâ, ut dixi, Hincmari præconceptâ opinione ſit *perverſa*, & è rei veritate atque Eccleſiæ judicio recta: viderit Germonius ne veritatem vocet mendacium, & mendacium veritatem ; dum ſuperiora Hincmari verba non ſolùm adoptat, ſed & exaggerat in hunc modum: *Dicta patrum detruncavit, & ad ſenſum ſuum incongruè flexit, ut ipſi palam Hincmarus exprobrat, addens fraudem ita manifeſtam fuiſſe, ut ipſa compilatio evidenter compilatoris ſui demonſtraret menda-*

cium. Sed in his tricis forſitan nimius ſum.

Nonnihil tamen adjungendum, quo & quid ſibi velit dictorum Hilarii & Auguſtini detruncatio ab Hincmaro objectata, & quàm in Ratramno nihil criminis arguat, apertiùs intelligatur. Certius quidem noſtrum eſſet judicium, ſi Ratramni liber adhuc ſuperſtes eſſet. Sed ex Gotheſcalci ſcripto, & oppoſito ei Hincmari opere, licet non ambiguam ea de re ferre ſententiam. Cùm enim eamdem Gotheſcalcus Ratramnuſque doctrinam adversùs Hincmarum tuerentur; non falletur qui ea quæ Gotheſcalcus probavit, Ratramnum aſſeruiſſe, & Hincmarum quæ in Gotheſcalco, ea in Ratramno improbaſſe conjecerit.

In hoc tota vertebatur controverſia, utrùm noſtra de Trinitatis myſterio fides verſum, *Te trina deitas unaque poſcimus*, dicere permitteret. Hoc verſu id quod de unitate deitatis credimus, deſtrui Hincmarus exiſtimabat. Unitatem deitatis profitendam eſſe Ratramnus Gotheſcalcuſque ultro conſentiebant, atque aliter ſentientes apertè damnabant: ſed cùm hæc vocabulo *una* diſertè exprimeretur,

retur, ei rectè adjungi contendebant *trina*, quo non tres deitates, ſed tres perſonarum divinarum proprietates enuntiari ſentiebant.

In hac diſceptatione, quemadmodum Gotheſcalcum in ſcripto ſuo videmus nulla veterum auctoritate deitatis unitatem aſſerere, quia hinc nulla lis erat, ſed in id unum intendere, ut trinam deitatem rectè dici probaret, ita & à Ratramno factum credere par eſt. Nempe cùm Hilarius & Auguſtinus divinarum perſonarum proprietates, quibus illæ à ſe invicem diſtinguuntur, demonſtrare non ſoleant, quin & ſimul naturæ, in qua unum ſunt, adſtruant unitatem; Ratramnus haud dubiè ex illorum dictis ea excerpere contentus eſt, quæ divinarum perſonarum proprietates explicant, relictis illis quæ earumdem in natura firmant unitatem. Neque ulla in hac agendi ratione mala fides: ſiquidem iis in medium adductis, unde quod controvertebatur firmaret, prudens omiſit, quod adſtrueret unde à neutra parte ambigebatur. Quid igitur ſibi vult Hincmarus, cùm Ratramnum Hilarii & Auguſtini dicta truncaſſe conqueritur? Hoc videlicet unum, quòd quæ illi de proprietati-

I

bus divinarum perſonarum ediſſerunt, deſcribere ſatis habuit, ſupervacaneum ratus excerpere quæ fortè de naturæ divinæ unitate adjungunt. Nihil enim erat, cur poſt claram ac perſpicuam unius deitatis profeſſionem, neceſſarium ſibi fore divinaret, ut hoc dogma apud adverſarium, à quo neque negabatur, dictis patrum fulciret, ac niſi faceret, ſe ut hæreticum habendum eſſe. Id tamen poſtea contra ſpem accidit.

Hujus rei fidem facit prolixus de non trina deitate tractatus, in quo & Gotheſcalcus, velut blaſphemus & hæreſeos, quæ idololatriæ mater ac parens ſit, reus, velut Arianus & Tritheita, & Ratramnus tamquam ejuſdem impietatis conſors tractantur. Id ipſum confirmat ingens illa variorum teſtimoniorum in id unum intenta congeries, ut deitatis unitas approbetur; quaſi illam Gotheſcalcus aut Ratramnus negarent. Eorum tamen hæreſim, ut de meo nihil dicam, Hincmarus ab ipſo prædicti operis procemio totam in eo ponit, P. 414. *quòd*, eorum ſententiâ, *ſicut trinus & unus Deus, ita trina & una deitas & debeat catholicè & valeat dici.* Certè cùm ille *unum & trinum Deum* catholicè dici

poſſe fateretur ; neque truncanda, neque in alienam ſententiam inflectenda erant patrum dicta, ut æquè orthodoxè *unam & trinam deitatem* prædicari defenderetur. Si enim *trina deitas* tres deitates ſonet, æquè & *trinus Deus* tres Deos ſonabit. Et ſi trinam deitatem prædicare non licet, quia vetitum eſt tres credere deitates ; nihilo magis trinum Deum dicere licebit, quia tres Deos credere non minùs eſt interdictum.

Quæ cùm ita ſint, Ratramnum Hilarii & Auguſtini dicta detruncaſſe, & in pravum ſenſum detorſiſſe ab adverſario ſic à vero aberrante & in ſuperflua ſe tantopere effundente cùm audimus ; quid æquius, quàm ut illum & recta ſenſiſſe, & prædictorum patrum dicta probè interpretatum, à ſuperfluis tantùm ſeſe abſtinuiſſe judicemus ? At illud certum & indubitatum, numquam Ratramno ab Hincmaro ullam, nedum *audaciſſimam, in falſandis priſcis auctoribus perfidiam* fuiſſe objectatam. Aliud factum Germonius ad rem ſuam accommodatius putat. An ita ſit, reſtat expendendum.

CAPUT XIV.

Ad ſcopum Germonii nihil pertinere, quod Hincmarus narrat factum ex occaſione loci de libro contra quinque hoſtium genera ſibi objecti.

P. 374. GRATIS dicit Germonius: *Illud ad rem noſtram accommodatius, quod poſtea idem Hincmarus narrat.* Cùm enim quod Hincmarus narrat, ad librum pertineat *contra quinque hoſtium genera*, quem Auguſtini non eſſe demonſtratum eſt, nihil ad rem facit Germonii, qui hoc ſibi probandum in titulo capitis III. propoſuit: *Inter veteres manuſcriptos Auguſtini codices, aliquos reperiri, qui olim à falſatoribus corrupti fuerint.* Neque magis id confert ad invidioſas conſecutiones fulciendas, quas inde adversùs Ratramnum aut Corbeienſem bibliothecam deducere conatur, cùm ad neutrum ullo modo pertineat. Illum tamen locum præteritum nolo, quo quàm ineptæ ſint omnes Germonii in appendice, quam expugnandam ſuſcepi, argutationes, magis ac magis appareat. Narrationem igitur Hincmari è verbis

ipſius exſcribo, inſertis indidem non-
nullis obſervatiunculis, quibus &
quæ notanda ſint, propriis in locis
præmoneatur lector, & prolixum ex-
cerptum hac varietate minori cum
faſtidio percurrat. Cùm quadam die, « *Pag.*
inquit in libro de non trina deitate, « *450.*
haberemus ſermonem de unitate dei- «
tatis Patris & Filii & Spiritus-ſancti, «
inter alia diximus B. Auguſtinum «
multoties in libro quinto de Trini- «
tate dicere, Quòd quidquid ad ſe, «
id eſt ſubſtantialiter de Deo dicitur, «
ſingulari numero & de ſingulis, & «
de tribus ſimul perſonis ſit efferen- «
dum. Quo contrà unus ex his cum «
quibus inde ſermonem habuimus «
(adeoque familiaris & amicus, ut
& ſequentia confirmant,) non con- «
tentioſa intentione, ſed fortè putans «
Auguſtinum ita dixiſſe, de hoc libro «
(contra quinque hoſtium genera) «
teſtimonium protulit, dicens, quòd «
veritas eſſentiale ſit nomen, dicente «
Domino, *Ego ſum veritas* : unde idem «
Auguſtinus ſcripſit, *Una & trina ve-* «
ritas. «

Objectum diluere non erat admo-
dum difficile : cùm enim *veritas* in
ſingulari numero efferatur, Auguſtini
effato in libris de Trinitate nullate-

nus adverſatur. Verùm hoc indicio eſt, eos qui congreſſui intererant, haud valde habiles non dicam Theologos, ſed nec dialecticos exſtitiſſe. Hincmarus tamen hinc ſe perturbatum non diſſimulans proſequitur.

» Quod audiens, librum domino » regi datum ab eo accepi, & perle- » gens, inveni ab eo loco ipſius libri, » ubi S. Auguſtinus dicit, *Gratias tibi* » *Deus virtus, gratias tibi Deus pater, qui &* » *Filium tuum oſtendiſti; & mihi doctorem de-* » *diſti*, interpoſitum eſſe ab adulterante, » *Gratias tibi Deus, gratias tibi vera & una* » *Trinitas, una & trina veritas, trina & una* » *unitas*, & poſt hæc quod poſuit Au- » guſtinus ſubjunctum, *Gratias tibi Deus* » *pater, qui & Filium tuum oſtendiſti; & mihi* » *doctorem dediſti.* Quod relegens valde » miratus fui, quoniam talia in eodem » libro nec uſquam in cujuſquam ca- » tholici opere, minimè autem in B. » Auguſtini inveneram.

Inferiùs tamen in pagina 454. fatetur, ſe in Auguſtini libro de duabus animabus reperiſſe, *Trina unitas quam Eccleſia colit*, & in epiſtola 16. Pelagii I. ad Childebertum, *Ut trina ſit unitas, & una ſit Trinitas.* Majoris autem momenti fuerit obſervare, exemplar quod præ manibus ac præ

oculis habuit, quodque legit ac relegit, nullam præ ſe tuliſſe adulterationis aut interpolationis notam; aliàs ad explorandam rei veritatem veterum codicum circumquaque conquiſitorum non eguiſſet ſubſidio, de quo deinceps ita loquitur.

Quapropter de civitatibus ac monaſteriis vetuſtiſſimos codices in unum afferri feci: per quos falſitatis ſacrilegium & ſacrilegum manifeſtiſſimè deprehendi. (Nota illud *per quos*, ut qualis ſit clara illa notitia ſolis libris diſſidentibus parta, faciliùs ſuo loco valeat in memoriam revocari.)

Inter quos vetuſtiſſimos libros, de quibuſdam monaſteriis allati ſunt etiam mihi noviter ſcripti quaterniones, (Quantumvis recentes, ibi tamen erant ante motam controverſiam, nec prævidebat quiſquam eos in hac cauſa conſulendos fore:) in quibus hanc falſitatem inſertam inveni. Et diligentiùs ac ſollicitiùs perſcrutatus, comperi omnes illos quaterniones de eodem fonte cœnoſo, de quo & domno regi datus liber falſatus fuerat tranſſcriptus, rivulo fraudulento manaſſe. (Ergo non in eo ſolùm libro, qui regi Carolo da-

tus fuerat, ſed in alio antiquiore; ex quo hic tranſſcriptus fuit, verba objecta continebantur.)

» Et quia in proximo futura erat
» ſynodus quinque provinciarum, vi-
» delicet Remorum, Rotomagorum,
» Turonum, Senonum & Lugdunen-
» ſium, apud Sueſſorum civitatem in
» præſentia domni Caroli regis glorioſi
» & epiſcoporum, qui ad eamdem ſyn-
» odum convenerant, & librum fal-
» ſatum & authenticos ac veros & ve-
» tuſtiſſimos codices protuli, & uni-
» cuique epiſcopo, ſed & illi, (hoc *illi* deſignare videtur epiſcopum eum fuiſſe; ſicut ſubſequens vox *ſimpliciter* ab omni eum fraude purgat,)
» qui ſimpliciter falſatum codicem re-
» gi dederat, librum authenticum ad
» inſpiciendum dedi.

Amplam hanc narrationem ſequitur diploma, quo utrùm admittenda, an rejicienda eſſent verba, *Gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, trina & una unitas*, dijudicatum eſt. Ac primò quidem ut hoc certius fiat, proponitur ſequenda hæc Auguſtini in lib. 3. de doctr. Chriſt. c. 2. n. 2. de ambiguis locis regula:
» Quòd ſi ambæ, vel etiam omnes,
» ſi plures fuerint partes, ambiguita-

tem ſecundùm fidem ſonuerint, textus ipſe ſermonis à præcedentibus & conſequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in medio poſuerunt, reſtat conſulendus, ut videamus cuinam ſententiæ, de pluribus quæ ſe oſtendunt, ferat ſuffragium, eamque ſibi contexi patiatur. Tum ſecundùm hanc regulam, & quæ verba prædicta, *Gratias tibi vera & una Trinitas* &c. præcedunt, & quæ conſequuntur, exſcribit: atque ubi utroque in loco deitatis unitatem aſſeri probavit, eamque de unitate deitatis doctrinam confirmavit aliis ſanctorum patrum dictis conſentaneam eſſe, librum contra quinque hoſtium genera, qui regi oblatus eſt, falſatum eſſe pronuntiat.

In hoc diploma, atque expreſſum in eo judicium, duo obſervanda ſunt. Primò fatetur ultro Hincmarus ambiguum per ſe fuiſſe, utrùm genuinus, an adulteratus eſſet textus libri Carolo regi oblati; hancque ambiguitatem eam exſtitiſſe, quæ non niſi ex præcedentibus & conſequentibus ſolveretur. Ex quo ſequitur, ut eam fecerit ſola diſſidentium codicum diverſitas, non ulla certa aut etiam probabilis adulterationis nota. Aliàs

Hincmarus hanc omnium oculis ſubjicere, atque in diplomate memorare non omiſiſſet.

Alterum non minori attentione dignum, totum illud Hincmari de falſato libro judicium hac falſa niti opinione, quòd *trina deitas* tres deitates ſonaret; eoque pacto cum iis quæ in libro contra quinque hoſtium genera & præcedunt & conſequuntur, in quibus defenditur deitatis unitas, ſtare nequeat. Neceſſe eſt igitur judicium hoc irritum ſit apud eos, quibus ſecundùm intelligentiam veriorem *trina deitas* non tres deitates, ſed unam cum tribus proprietatibus, quæ tres perſonas conſtituunt, ſonat.

Addo & tertium, neminem ſcilicet huic Sueſſionenſi conventui interfuiſſe, qui Gotheſcalci aut Ratramni ſententiam probè calleret, ac ſciret quæ horum verborum, *trina deitas*, genuina ſit poteſtas.

Pluribus forſitan non opus eſſet ad ea omnia repellenda, quæ Germonius ex Hinçmari narratione ac diplomate prædictis in gratiam ſyſtematis ſui deducit; ſed & hæc ſeorſim excutere operæ pretium fuerit. Inde enim patebit aditus, quo antiquam de abſtruſo Trinitatis myſterio

loquendi rationem, ab illuſtri præſule tam acriter impugnatam, ac necdum ab ullo, quod ſciam, ſatis explicatam, illuſtremus & aſſeramus.

CAPUT XV.

Quàm fruſtrà Germonius contendat, locum, quem Hincmarus falſi arguit, aut incogitanter excidere, aut vitio librariorum interpolari nequiviſſe.

IN Hincmari narrationem prima hæc eſt Germonii obſervatio. *Locus, quem falſi arguit, non eſt hujuſmodi, qui imprudenter ſ[o]cóque librariorum vitio & incogitantiâ irrepere in librum Auguſtini potuerit.* Et infrà: *Interpoſitam genuinis Auguſtini verbis ſententiam integram nemo ſanè incogitanter librario excidiſſe, nemo ſine conſilio adjectam fuiſſe dixerit.* Sic Auguſtino librum contra quinque hoſtium genera, quamvis illius non eſſe demonſtratum ſit, tribuere non ceſſat. Eò illum cogit probationum penuria, ut cùm Auguſtini codices conſultò falſatos ſuadere præconcepto conſilio ſuſceperit, ad unum locum ex

P. 384.
P. 385.

libro qui Auguſtini non ſit, tota coanguſtetur tantæ rei probatio.

Sed neque hinc illud etiam conſequitur, quod ille ſe conficere poſſe putat. Dixerit enim nonnemo, verba quæ conſultò immiſſa eſſe vult, innoxiè omnino ex margine in textum fuiſſe tranſlata, in quo quidem ex librariorum ſimplicitate marginales notas inconcinnè collocatas quotidie experimur.

Verùm hoc attendat velim, in hac codicum diſcrepantia, num ii potiùs vitioſi cenſendi ſint, quos Hincmarus pro veris habuit; atque ex his id, quod ceteri amplius habent, imprudenter ac ſolo librariorum vitio & incogitantiâ exciderit. Meminiſſe enim debet quod jam præmonui, librariis non tantùm recentibus, ſed & antiquis accidere frequentiùs ſolere, ut cùm idem verbum non longo intervallo repetitur, ad poſtremum relictis intermediis tranſeant. Hujus rei teſtes eſſe poſſunt & typographi hodierni, aut qui in alienis ſcriptis exſcribendis operam collocant, & qui antiquis codicibus evolvendis aſſueverunt. Si ad exempla venire libet, numquam me deficient.

Ubi in nova editione S. Hilarii lib. in Conſtant. n. 12. trium veterum codicum manu exaratorum ope reſtitutum eſt, *Deprehendi ut centum & quinque epiſcopi homœuſion, id eſt ſimilis eſſentiæ, prædicarent, & decem & novem anomœuſion, id eſt diſſimilis eſſentiæ profiterentur*; horum loco in ſex aliis pariter ſcriptis exemplaribus, quibus & editiones ceteræ conſentiebant, dumtaxat repertum eſt, *Deprehendi ut centum & quinque epiſcopi homœuſion, id eſt diſſimilis eſſentiæ profiterentur.* Manifeſta eſt mutilatio. Unde verò contigit? Ex repetitione vocabuli *eſſentiæ*, aut potiùs ex quadam verborum *homœuſion* & *anomœuſion* cognatione, qua deluſus librarius, id quod poſtremum ſubſequebatur, mediis omiſſis, exſcripſit.

Quæſivit olim Leo, ſeu veriùs Neo Ravennenſis epiſcopus à Leone Magno, utrùm baptiſmus conferendus eſſet parvulis, quos in captivitatem aliquando abductos, hoc ſacramentum percepiſſe nemo teſtari, ne quidem ipſi valebant. Reſponſum ſedis apoſtolicæ aliter Ivo, Gratianus aliter referunt: Ivo quidem parte 1. c. 4. pluribus in hunc modum: *Cùm itaque baptiſmi ſui nihil recordetur qui re-*

generationis eſt cupidus, nec alter de eo atteſtari poſſit qui ſciat conſecratum; nihil eſt in quo peccatum poſſit obrepere: cùm in hac parte nec ille reus ſit qui conſecratur, nec ille qui conſecrat. Scimus quidem &c.

Gratianus verò de conſecr. diſt. 4. c. 112. paucioribus hiſce verbis: *Cùm itaque baptiſmi ſui nihil recordetur qui regenerationis eſt cupidus, nec alter atteſtari de eo poſſit qui ſciat conſecratum, nec ille qui conſecratur: Scimus quidem* &c. Nemo certè dixerit, hunc locum apud Ivonem eſſe interpolatum. Contrà vitioſum & mancum eſſe apud Gratianum, atque hoc vitium ex concurſu verborum affinium *conſecratum*, *conſecratur*, *conſecrat*, contigiſſe perſpicuum eſt. Antiqua tamen eſt hæc prætermiſſio. Exſtat in omnibus ſcriptis exemplaribus collectionis Iſidori Mercatoris, & alterius collectionis, ut mihi quidem videtur, paulo vetuſtioris, ex qua Mercator ſuam potiſſimùm adornarit. Hujus rei fidem facient plures inſignis bibliothecæ Colbertinæ codices, inter quos unus eſt Hincmari ævo non multò recentior, item alter Laudunenſis eccleſiæ haud ſequioris ævi, ut nihil dicam de exemplari aliàs monaſterii S. Sergii Andegavenſis, nunc RR. PP. Capucinorum

Rotomagenſium ab annis circiter 700. exarato, aut de codice collegii Navarrei ab annis ſaltem 600. deſcripto. Ac ſi neceſſitas poſtularet, hujuſmodi libros in hac prætermiſſione ſibi conſentientes viginti colligere non admodum difficile eſſet. An verò propter hanc multitudinem, ut interpolatum judicare ac rejicere licet quod amplius habetur in aliis? Horum multitudini dubio procul præponderare debet antiquitas ceterorum, quibus & communis hominum ſenſus ſuffragatur.

Ab hoc Leonis loco antequam digrediar, obiter obſervo, pro eo quod legit Ivo; & poſt eum Paſchaſius Queſnellus in nova Leonis editione epiſt. 135. *qui ſciat conſecratum*, reſtituendum eſſe, *qui ſe neſciat conſecratum*, hancque lectionem, quæ longè nitidior eſt præcedente, quatuor antiquorum codicum auctoritate fulciri.

Nullus eſt in verſandis manuſcriptis exercitatus, qui non in hoc prætermiſſionum genere ſexcenta alia exempla nullo negotio proferre valeat. Inter illa innumera, quæ recenſere longum eſſet, unum eſt ad rem noſtram accommodatius, quàm ut

præterire illud liceat. Sciunt antiquarii & ſacræ Scripturæ ſtudioſi, è duobus illis verſibus 1. Johannis 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus-ſanctus, & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra* &c. primum illum verſum *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus-ſanctus, & hi tres unum ſunt*, in pleriſque antiquis exemplaribus deſiderari. Eum tamen nihilo minùs ut authenticum recepit Eccleſia, cùm perſuaſum habeat, propter repetitionem verborum *Tres ſunt qui teſtimonium dant*, ut ſæpe fit, fuiſſe prætermiſſum.

Sic & ex ejuſdem epiſtolæ Johannis capite quarto propter verbum *eſt*, quod in fine verſus tertii exſtat, rurſumque reperitur in fine quarti, totus ille verſus quartus quibuſdam in exemplaribus fortè exciderit. indeque factum, ut exemplaria illa prætulerint, qui divinam naturam ab humana in Chriſto ſeparabant; ac propterea velut ſuppreſſionis hujus auctores habiti ſint: quemadmodum vidimus ſuprà Donatum, quia ea libri Eccleſiaſtici exemplaria laudabat, in quibus verba *& iterum tangit illum* deerant, ut ſacri eloquii furem ac violatorem audiiſſe. Hinc nihil cogit, ut prædicti

prædicti verſus quarti ex epiſtola Johannis ſuppreſſionem hæreticis attribuamus, quamvis Socrates lib. 7. c. 32. dicat : Ignoravit Neſtorius, in catholica Johannis epiſtola ita ſcriptum eſſe in antiquis exemplaribus, *Omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt:* hanc enim ſententiam è vetuſtis exemplaribus ſuſtulerunt ii, qui ab hominis diſpenſatione divinitatem ſeparare volebant. Hoc enim ſcripſerit Socrates, quod à nonnullis creditum audivit. Sed aliorum ſcriptorum, qui eoſdem hæreticos refutarunt, ea de re ſilentium, maximo indicio eſt, id non vulgò & ab omnibus creditum, atque hanc in epiſtola Johannis prætermiſſionem non ex affectata ſuppreſſione, ſed ex amanuenſium oſcitantia contigiſſe.

Vide ſupra pag. 55.

Neque hîc tacendum, Hincmari dictum à Germonio non intellectum eſſe, cùm Neſtorium perfidiæ in Scripturis eradendis admiſſæ reum facit : quaſi hic hæreticus verba Johannis, *Omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum* &c. eraſiſſe ab hoc præſule dicatur. Neque verò ille in libro de non trina deitate, quem unum Diſceptator laudat ac ſummatim reddit, dixit, *Neſtorius hanc eraſit ſententiam:* ſed,

P. 363.

P. 465. *Neſtorius neſcire ſe prodidit hanc authenticis exemplaribus inditam fuiſſe ſententiam.* Quo in loco Hincmarus, quamvis alibi * ſibi non conſtet, Socratis quem ſequitur fideliùs, quàm Germonius ipſius verba expreſſit. Is enim hiſtoricus ſuprà à me relatus *ignoravit* dicebat, non *eraſit*. Et utrumque verbum perinde accipiendum eſſe cenſuerit nemo, qui quæ præmittit Socrates, quæque ſubdit, tantiſper expenderit. Præmittit quippe de Neſtorio, *Libros etiam veterum interpretum haud quaquam legere dignabatur.* Huic arrogantiæ deinde attribuit, quòd *ignoravit in catholica Johannis epiſtola ita ſcriptum eſſe in antiquis exemplaribus, Omnis ſpiritus* &c. Demum cur hoc ignoraverit, rurſum confirmat, dum ſubdit: *Priſci interpretes idipſum obſervaverunt, fuiſſe nimirum quoſdam, qui hanc epiſtolam* (prædicto in loco) *depravarint.* Sed ut hujus facti fides penes auctorem ſit, certum eſt ejuſdem vocabuli repetitionem uberrimum ſemper extitiſſe prætermiſſionum fontem.

* *Præf. lib. de Prædeſt.*

Quocirca lectionem quæ in codice Carolo Calvo regi oblato ac nonnullis quaternionibus obtinebat, quam Lovanienſes doctores in tribus manuſcriptis libris inventam reſtitue-

runt, quamque confirmant plures antiqui codices in noviſſima Auguſtini editione recogniti, retinuiſſe cur tam grave peccatum ſit? Cur legere non liceat, *Gratias tibi Deus, gratias tibi vera & una Trinitas, trina & una veritas, trina & una unitas. Gratias tibi Deus Pater?* Quam ob cauſam inde reſecandum, *Gratias tibi vera & una Trinitas, trina & una veritas, trina & una unitas?* Hoc, inquies, in pluribus antiquis exemplaribus prætermittitur. At repetitio verborum, *Gratias tibi*, nonne manifeſtam prætermiſſionis cauſam facit? Aliàs in ſimili earumdem vocum occurſu, interceptas ſententias omittere librariis uſitatum eſt: cur non hoc & illis nunc accidiſſe cenſuerimus?

Reponet Germonius codices amplius quatuordecim ad Hincmarum allatos, nec probabile eſſe, unum & idem vitium in tot diverſis libris reperiri.

Ambigere quidem liceret, utrùm in illo numero non eos complectatur libros omnes, quos conſuli voluit; adeoque num eos etiam non recenſeat quaterniones, qui codici objecto concinebant. At apertum eſt omnes illos libros feſtinatò allatos eſſe è

vicinis eccleſiis atque monaſteriis; hoc eſt è locis quæ codices exſcribendos ſibi mutuò commodare conſueverunt, in quibus idcirco & eadem menda ac vitia eſſe ſolent. In memoriam revocetur quod ſuprà pag. 50. præmonui, Auguſtinum quidem plurimos codices, etiam antequam eſſet pars Donati, illud Eccleſiaſtici, *& iterum tangit illum*, non habuiſſe ſic fateri, ut & adjungat, *verumtamen Afros*; quo ſcilicet vitium hujuſmodi in ejuſdem regionis codicibus inſolitum non eſſe admoneat.

Præterea ſi de numero codicum, textus alicujus veritas cenſenda eſt, vereor valde, ne in tribus locis ſuprà memoratis, Hilarii, Leonis, & Johannis apoſtoli, lectio manifeſtè trunca & mutila præferenda judicetur. Neque verò in hoc ſtetit Hincmarus: ſed aliam viam ſibi ineundam exiſtimavit, quò & verba de quibus mota lis erat, rejicienda, & librum, in quo exſtabant, falſatum judicandum eſſe ſuaderet. Ut enim jam à me obſervatum, quam Auguſtinus regulam in ambiguis lectionibus ſervandam docet, eam ipſe ſequendam propoſuit: tum ſecundùm illam prælectis quæ locum objectum præce-

dunt & conſequuntur; cùm utrobique deitatis unitas diſertis verbis aſſeratur, facilè obtinuit Hincmarus, ut locum, in quo tres veritates prædicari & voluit & perſuaſit, his repugnare, adeoque interpolatum eſſe, & librum in quo reperitur, falſatum eſſe definiretur.

Sed judicium, ut item obſervatum eſt, hac falſa hypotheſi nixum, quòd *trina veritas* tres veritates ſonet, quis non irritum ac prorſus nullum ducat? Sanè huic concilio Sueſſionenſi ſi quis Gotheſcalci, Ratramni aut ſociorum nomine interfuiſſet, ac veriorem verborum *trina veritas* intelligentiam ſuggeſſiſſet, expoſuiſſetque nullam eſſe excerpti *Gratias tibi vera & una Trinitas* &c. cum præcedentibus & conſequentibus pugnam, ac non minùs luculenter in illo, quàm in his, deitatis unitatem aſſeri, hoc uno tantùm diſcrimine, quòd in antecedentibus & ſubſequentibus tantùm deitatis unitas, in medio autem excerpto unitas ſimul & Trinitas explicetur; ſi etiam adjeciſſet omnia ejus dicta cum fide à patribus tradita apprime concinere: nullus exſtitiſſet æqui amans epiſcopus, qui non redeundum ad judicium, illud

que revocandum ſenſiſſet; aut palam eſſet conteſtatus, cùm falſa ſit cauſa ob quam liber regi oblatus *falſatus* declaratus fuerit, nullam jam ſupereſſe rationem, cur non approbaretur ut ſincerus, atque ab omnibus reciperetur; certè rem adhuc in integro eſſe, nec quidquam fuiſſe confectum. Hoc ipſum & quæ circa alias Germonii obſervationes ſuperſunt dicenda confirmabunt.

CAPUT XVI.

Tria Germonius perperam adſtruit: primum, verba illa Gratias tibi vera una Trinitas *&c.* recèns intruſa *eſſe*; *alterum*, auctorem fraudis *Hincmaro non fuiſſe ignotum; poſtremum*, *quaterniones in monaſteriis ad Hincmarum allatos* adulteratos *eſſe*.

Tria hæc, quæ Diſceptator ſecunda & tertia obſervatione ſua aſſerit, in unum & idem caput ob materiæ affinitatem refero, pleniorem ſophiſmatis, quo tota illius obſervatio ſecunda conſtat, expoſitio-

nem capiti alteri reſervaturus. Ex hac autem obſervatione hoc nunc ſolum aggredior, *Verba illa* (Gratias tibi &c.) *in librum Auguſtini recèns intruſa fuiſſe conqueritur Hincmarus.*

Ubi quæſo legit Hincmarum conquerentem, verba *Gratias tibi vera & una Trinitas* &c. in librum contra quinque hoſtium genera recèns intruſa eſſe? Egregiè quidem ad rem Germonii facere videtur vocula illa *recèns*, quam ille conſultò an inconſultò, certè de ſuo intrudit. Nam ab ea Hincmarus non ſine cauſa abſtinuit: nec in tota illius narratione, in qua quæ ſententiam adversùs librum contra quinque hoſtium genera dicendam, dicendæque cauſas exponit, ullum eſt veſtigium, quo eam ſubintelligi debere conjectemus. Contrà ſtupor, quo ex objecti libri lectione primùm perculſus eſt, ſtudium quo librum ipſe accepit, propriiſque oculis perlegit, iterata ejuſdem loci lectio, remedium quò poſt hanc lectionem ſibi confugiendum credidit, magno indicio ſunt, librum illum exſtitiſſe antiquum, nihil in eo intruſum, nihil ſuperadditum apparuiſſe, uno verbo nihil ei defuiſſe quo fidem & auctoritatem faceret; nec quidquam

tum ſuperfuiſſe Hincmaro, niſi ut unius codicis auctoritatem oppoſita plurium aliorum auctoritate opprimeret.

Neque verò ignorabat quantum è re ſua eſſet, ut hic liber recens diceretur atque crederetur. Teſtes hujus rei ſunt quaterniones illi, qui de monaſteriis allati fuerant, quorum ut auctoritatem imminueret, eos *noviter ſcriptos* dicere non neglexit. Ex quo ſic argumentor: Longè pluris intererat codicem objectum, quàm quoſdam quaterniones, noviter ſcriptum eſſe ſuadere: at verò Hincmarus ubi de quaternionibus incidit ſermo, eos *noviter ſcriptos* eſſe ſedulò monet, ac nihil ſimile de libro regi oblato ſignificat: ab hoc igitur, ſola veritate aliud evidenter perſuadente, abſterritus eſt. Argumentum hoc confirmat impenſa illa cura, qua edictum Conſtantini ſibi à Gotheſcalco objectum (qua de re infrà diſſeremus) *in novo codice ſcriptum* eſſe rurſum * annotare ſtuduit. Quantumvis autem hîc deſudet, ut locum adulteratum perſuadeat; neque librum, in quo exſtat, recentem appellat, neque ipſum locum aut recèns intruſum, aut etiam ſuperpoſitum, ſed *interpoſitum ab adulterante*

* To. 1. p. 450.

dicit, hoc eſt ita poſitum, ut nihil in eo ſecundis curis adjectum accuſare cuiquam liceret.

Objicit Germonius, prædicta illa verba adeo recèns intruſa eſſe, ut nec fraudis auctor ignotus Hincmaro fuerit. Verba illius iiſdem characteribus, quibus ea expreſſit, refero, quo aptiùs judicare quiſque valeat, quomodo auctoris ſui dicta intervertere, mutare atque confundere ei nulli religioni ſit. Neque verò, inquit in tertia « observatione, auctorem fraudis ignoravit Hincmarus, quamquam nomini « ejus pepercit. Nam cùm non codicem modò, ſed & plures recèns ſcriptos quaterniones, è quibuſdam monaſteriis allatos pariter adulteratos « vidiſſet, *rem diligentiùs ac ſollicitiùs perſcrutatus, comperit adulteratos quaterniones omnes de eodem fonte cœnoſo manaſſe, de quo & domno regi datus liber falſatus fuerat tranſcriptus.* Fontem ergo & auctorem fraudis cognoſcebat. Iſtud ipſum diſertis « verbis rurſum teſtatur, cùm ait, *ſe falſitatis ſacrilegium & SACRILEGUM manifeſtiſſimè deprehendiſſe.* « *Pag. 386.*

Totum hoc ratiocinium quàm leve, quàm falſum ſit, vel ſolæ obſervatiunculæ jam præmiſſæ evincunt. Quis enimvero credat Hincmarum

ſi auctorem fraudis non ignoraſſet, nomini ejus parciturum fuiſſe, maximè ſi is, ut vult Germonius, Gotheſcalci & Ratramni conſors exſtitiſſet?

Et quidem quiſquis ab omni præoccupata mente liber legerit hæc, quibus Germonius præcipuè nititur, Hincmari verba, *De pluribus civitatibus & monaſteriis vetuſtiſſimos codices in unum afferri feci, per quos falſitatis ſacrilegium & ſacrilegum manifeſtiſſimè deprehendi*; in quo ſita ſit manifeſtiſſima illa ſacrilegii ſacrilegique notitia, nullo labore intelliget. Quid enim ex illis libris, *per quos* unos hanc notitiam ſe percepiſſe teſtatur, deprehendere valuit, niſi excerptum illud, quod in libro regi oblato exſtabat, in eis non exſtitiſſe? Ex quo neceſſariò conſequi, quamvis falsò, arbitratus eſt, quod jam animo præconceperat, in libro illo manifeſtum eſſe *ſacrilegium falſitatis*, ejuſque auctorem eſſe *ſacrilegum*. Quæram à Germonio, qua ratione me interpretari vellet verba Ariani dicentis: Cùm catholicus mihi objeciſſet illud 1. Johannis 5. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus-ſanctus, & hi tres unum ſunt*; de pluribus locis plures epiſtolæ Johan-

nis codices in unum afferri feci, per quos, utpote dictum idem non habentes, falſitatis ſacrilegium ſacrilegumque manifeſtiſſimè deprehendi. Certè hoc æquè illi atque Hincmaro prædicta dicere liceret. An propterea lectionem hanc recentem, ejus auctorem notum, adeoque oraculum Spiritus-ſancti in dubium revocandum, immo & rejiciendum cenſebit? Num potiùs reſpondendum, Arianum ita loqui, quia cùm animo præſumſiſſet, hanc lectionem falsò & ſacrilegè immiſſam, ejuſque auctorem eſſe ſacrilegum, in ea ſententia, veterum codicum inſpectione, mentem obfirmarit; ac non proſpexerit hujuſmodi prætermiſſiones librariis frequentes eſſe, neque fidem detrahendam codicibus, qui lectionem quamvis in longè pluribus prætermiſſam aſſervarunt. Quam ad verba Ariani, hanc ad dicta Hincmari reſponſionem accommodare licet.

Uno verbo totam notitiam ſuam Hincmarus *per libros* cepit, quorum alii uno in loco erant mutili, alii integri; & quia mutili numero plures erant, horum comparatione illorum integritatem, quæ cauſæ ſuæ vehementer adverſabatur, ut certam fal-

ſitatem judicavit, ſeu potiùs conjecit, conjecturâ quidem tanto minùs probabili magiſque ſuſpecta, quanto ille magis erat propriæ cauſæ addictus. At nuſquam dixit, nec erat cur diceret ſe, ut vult Germonius, auctorem fraudis nominatim noſſe. Longè minùs id ſequitur ex eo, quod de quibuſdam quaternionibus ait, ſibi compertum fuiſſe eos omnes *de eodem fonte cœnoſo, quo & domno regi liber falſatus fuerat tranſſcriptus, manaſſe*. Aliàs ex eo quòd monuerint qui noviſſimam Hilarii editionem curarunt, ſe deprehendiſſe unum è codicibus nunc Colbertinæ, olim Floriacenſis bibliothecæ, magnam partem è vetere Carnutenſis eccleſiæ exemplari fuiſſe exſcriptum, prælatis ubique ſecundis lectionibus, ab aliquo ſtudioſo in eodem exemplari inſertis; pariter ſequeretur & autographi Carnutenſis auctorem, & eum qui ſecundas curas in eo recognoſcendo adhibuit, editoribus illis non ignotos eſſe. Longè verò aliud eſt locum & codicem unde aliquis liber ſit tranſſcriptus deprehendere, aliud illos noſſe qui libros illos aut ſcripſerint aut exſcripſerint.

Potuit quidem Hincmarus, ut erat in iis quæ propriam cauſam juvarent

ſollers ac ſollicitus, deprehendiſſe quaterniones libro regi oblato conſentientes ex eodem archetypo fuiſſe tranſſcriptos: ſed & ſi quis parem adhibuiſſet diligentiam, ut librorum illorum, quos Hincmarus ut authenticos venditabat, genealogiam ut ita dicam detegeret, haud graviori forſitan negotio deprehendiſſet, eos omnes ex uno vitioſo parente originem duxiſſe. Et quidem eadem tum exemplaria ſibi mutuò communicabant eccleſia Remenſis, monaſteria S. Remigii, S. Theoderici, eccleſia Laudunenſis aliæque eccleſiæ aut monaſteria vicina.

Ut ut eſt, ex eo quod deprehenderit Hincmarus librum regi oblatum & quoſdam quaterniones ex eodem fonte manaſſe, hoc eſt ex eodem archetypo tranſſcriptos eſſe, nullatenus ſequitur ut in his fraus fuerit, nedum fraudis auctor huic præſuli compertus exſtiterit. Sed quid plura? Hincmarus ipſe hoc ſibi incompertum eſſe non tacuit, dum ait, *Impoſtor verò falſitatis, & verbis Auguſtini inſultator, quiſcumque ille fuerit.* Ejus ne eſt, qui impoſtorem nominatim noverit, dicere, *Quiſcumque ille fuerit*? Neque diſſimulandum, eum ibidem ita loqui, P. 463.

quaſi liber regi oblatus poſt ſcriptum Gotheſcalci pro dicenda trina deitate exaratus eſſet. Sed manent argumenta ſuperiùs ex ſimplici illius narratione petita : nec inuſitatum eſt eum in hoc negotio videre non ſatis ſibi conſentientem. A veritatis tramite devians, contrariis interdum nititur viis quibus ſeſe expediat. Naufrago ſimilis, quidquid occurrerit arripit, quo ſe liberare utcumque valeat. Rurſum pag. 464. librum contra quinque hoſtium genera adulteratum eſſe concludens, de interpolationis auctore ſic incertus loquitur: *In quo hæretica pravitas à* QUOCUMQUE *falſatore interpoſita.*

Venio jam ad tertium, in quo Germonii in exprimenda auctoris ſui ſententia fides non immeritò deſideretur. Illius quippe obſervatio tertia ſuperiùs jam relata ita eſt compoſita, ut quæ de piis locis nonnulli non ſatis æqua cogitant, alere ac fovere præter rei veritatem valeat, dum monaſteria velut adulterandis ac depravandis libris obnoxia loca repræſentat. Eum quidem ita malè affectum fuiſſe nolim; ut ea cogitata excitare affectarit, quæ ſanè ab Hincmari mente, uti verba ipſius relegenti palam

erit, procul abſunt. Sed ſi non affectavit, cur auctoris ſui verba non retinuit, aut cur ea mutans, atque illis alia ficto ac pernicioſiſſimo ſyſtemati magis accommoda ſubſtituens, hæc tamen Italico charactere velut Hincmari propria deſignavit? Neque enim hic præſul quaterniones de monaſteriis allatos uſquam *adulteratos* vocat, ſed hoc tantùm de illis dicit, *In quibus hanc falſitatem inſertam inveni*: quod non idem ſonat.

Inſeri quippe aliquid in libro duobus modis poteſt, vel ex proprio ſcilicet ingenio, vel ad alicujus alterius codicis imitationem: quod rurſum fit dupliciter; vel enim codici jam ſcripto ſuperadditur, quod in altero amplius repertum fuerit, vel alter ille codex totus ſimpliciter & ex integro exſcribitur. Primam hanc inſerendi rationem, quæ ab adulteratione in hoc præſertim negotio ægerrimè eximeretur, Hincmarus dum hos quaterniones *è fonte*, ex quo id quod habent inſertum acceperint, manaſſe docet, planè excludit. Alteram, quæ ſæpe cum diligentiæ laude fit, ſed ſuſpecta tamen nonnumquam eſſe poteſt, pariter removendam indicat, dum quaterniones illos *noviter ſcriptos*

dicere contentus, ſcripturam recèns ſuperductam nullatenus arguit: cùm tamen & hoc oſtendere breviùs & expeditiùs, ſi re ita eſſet, atque hinc librorum illorum auctoritatem minuere certiùs atque efficaciùs potuiſſet. Reſtat igitur tertia, quam nullus umquam jure criminari potuerit. Quid enim à librario aliud exigitur, quàm ut fideliter exprimat quod in archetypo invenit. Ita perfidiæ vel adulterationis ſuſpicionem, quam monaſteriis Diſceptatoris verba injiciunt, rei veritas prorſus amovet. Ille verò dum veterum vult demonſtrare adulteratores, ita ſe gerit, ut ne ipſe eorum adulterator videatur, veniâ omnino indigeat. Quoddam præterea ſecunda illius obſervatio ſophiſma continet, quod ſeorſim expendendum duxi. Hoc igitur jam præſtemus.

CAPUT XVII.

Temere facere, qui verba Gratias tibi vera & una Trinitas *&c. in librum contra quinque hoſtium genera à Gotheſcalci Ratramnive fautoribus intruſa fuiſſe ſuſpicetur. Ea eſſe primigenia ipſo Germonii argumento conficitur.*

IN ſuperiorem Hincmari narrationem ſic Germonius obſervatione *p.385.* ſecunda ratiocinatur: Manifeſtum eſt " verba illa, quæ in librum Auguſtini " recens intruſa fuiſſe conqueritur " Hincmarus, mirum in modum adju- " vare cauſam Gotheſcalci, Ratramni " & aliorum qui trinam deitatem & " trinam in Deo veritatem catholicè " dici poſſe contendebant. Quare ſi " conſultò & per fraudem intruſa fuiſſe " conſtat, non temere facit, qui à Go- " theſcalci Ratramnive fautoribus in- " truſa fuiſſe ſuſpicatur. Lepida ſanè " argutandi ratio, qua præſentiſcens nihil ſibi ſuppetere unde aut libros Auguſtini adulteratos eſſe evincat, aut Gotheſcalco, Ratramno eorum-

que fautoribus quidquam fraudis attribuat, utrumque ſe conficere poſſe arbitratur!

Verùm ſi permittatur aut toleretur hujuſmodi argutandi ratio, quis à perfidiæ calumnia erit tutus? aut cui hæretico non patebit quas volet Scripturas rejiciendi locus? Et ut ab allato jam exemplo non recedam, Ariano eadem ratione argumentari ſic licebit: Manifeſtum eſt verba illa, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus-ſanctus, & hi tres unum ſunt*, mirum in modum adjuvare cauſam eorum, qui in Deo unam eſſentiam ac tres perſonas credunt. Quare ſi conſultò & per fraudem intruſa fuiſſe conſtat, non temere facit, qui ab iis qui unam eſſentiam & tres perſonas in Deo credunt, intruſa fuiſſe ſuſpicatur. Simili quoque argumento Donatus verba hæc, *& iterum tangit illum*, à Catholicis in librum Eccleſiaſtici fuiſſe immiſſa concludet.

1. *Joh.* 5. 7.

Ceterùm temere facit, qui ſine ulla probabili cauſa aliquid facit. Atqui nulla eſt probabilis cauſa, cur verba *Gratias tibi vera & una Trinitas* &c. in librum contra quinque hoſtium genera à Gotheſcalco, Ratramno eorumque fautoribus intruſa eſſe quis

ſuſpicetur. Certè liber regi oblatus, in quo prædicta verba continebantur, ut in ſuperiori capite demonſtratum eſt, non erat recèns ſcriptus, ſed eas præ ſe ferebat notas antiquitatis, quæ & Gotheſcalci & Ratramni ætatem ſuperaret. Quàm igitur abſurdè ab iis dicantur intruſa, quæ ante illorum ortum in libro continebantur?

Hoc ita perſuaſum erat Hincmaro, ut quantumvis infeſtus eorum adverſarius, numquam eos hujus criminis poſtularit, ac ne quaterniones quidem illos, quos noviter ſcriptos aſſeruit, ab illis prodiiſſe dixerit. Immo dum fontem unde manarint, ſe deteхiſſe declarat, rivulos illos antequam ullæ eſſent Gotheſcalci & Ratramni partes, originem habuiſſe, non obſcurè oſtendit.

Sed & indubitatum eſſe debet, nominatim Gotheſcalco locum hunc libri contra quinque hoſtium genera ignotum fuiſſe, cùm ſchedulam ad Hincmarum miſit, qua cantandi *Te trinà deitas unaque* uſum defenderet: aliàs in ea ſchedula locum, qui ſuæ ſententiæ tam diſertè faveret, non omiſiſſet.

Quamobrem corrigendus eſt Index

in I. Hincmari tomum, in quo ad verbum *Auguſtini* notatur, *Liber falſatus à Gotheſcalco*, 450. 451. 452. Et verò tres illæ paginæ relegantur; & ſi quis ullum in illis deprehendat verbum, quo Auguſtini, hoc eſt contra quinque hoſtium genera liber *falſatus à Gotheſcalco* ſignificetur, hoc me fugiſſe ultro confiteor. Sed neminem fore confido, qui quidquam hujuſmodi in eis offendat. Germonius ipſe, cujus fortè conſilium de falſatis Auguſtini codicibus ſcribendi hinc originem cepit, prædictum contra quinque hoſtium genera librum à Gotheſcalco falſatum dicere nuſquam auſus eſt. Tanta tamen vis eſt præjudicatæ mentis, ut quod Gotheſcalco crimen offerri non poſſe vidit, hoc in ejus amicos nihilo magis cadere poſſe non viderit.

Quod de Gotheſcalco mox dicebam, hoc ipſum valet & pro Ratramno. Ille ſi quidem ante Gotheſcalcum adversùs Hincmarum eadem de cauſa ſcripſit. Neque tamen Hincmaro, qui librum Ratramni legerat, innoteſcere cœpit celeber ille locus Tractatûs contra quinque hoſtium genera, niſi poſtquam inter ipſum & Gotheſcalcum ac Ratramnum agi-

tata jam efferbuerat controverſia. Quod certo indicio eſt, locum prædictum à Ratramno objectum non fuiſſe; haud ſanè ipſi prætereundum, niſi incompertus ei fuiſſet.

Neque etiam per ullum Ratramni aut Gothescalci partibus addictum Hincmaro primùm innotuit, ſed per amicum, cum quo familiari conſuetudine & congreſſu utebatur, à quo omnem ſuſpicionem propulſare ſtuduit, dum hunc locum ab eo *non contentioſa intentione* ſibi objectum eſſe teſtatus eſt. Re ipſa eum qua ſententia Gotheſcalcus & Ratramnus trinam deitatem tuerentur, ignoraſſe ſuperiùs eſt obſervatum. P. 133.

Reſtaret, ut ſaltem eum, qui librum contra quinque hoſtium genera Carolo Calvo regi obtulit, Gotheſcalci & Ratramni partibus faviſſe, ac totius fraudis auctorem exſtitiſſe ſuſpicaremur. Verùm Hincmarus P. 450. etiamſi à quodam datum eſſe narret, *qui hinc videlicet quia trina deitas catholicè poteſt dici contendebat*; & ab illo tamen omnem ſuſpicionem amovet, ubi ait, *Unicuique epiſcopo, ſed & illi, qui* SIMPLICITER *falſatum codicem regi dederat, librum authenticum ad inſpiciendum dedi.* Sanè non is erat Hincmarus,

qui de homine adverſariorum ſuorum partibus addicto, quemque perfidiæ auctorem credidiſſet, dicere affectaret, *qui ſimpliciter falſatum codicem regi dederat.*

Demum ſi à Gotheſcalci Ratramnique fautoribus in librum contra quinque hoſtium genera conſultò intruſa fuiſſent verba illa, *Gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, trina & una unitas*; aliquis ſaltem eorum ad concilium Sueſſionenſe, in quo de libro ac de verbis iſtis celebre judicium inſtituendum erat, conveniſſet, audiri ſe petiiſſet, atque quo ſenſu trina veritas à Gotheſcalco ac Ratramno propugnaretur, expoſuiſſet. At nullum qui vel Gotheſcalci ac Ratramni ſententiam intelligeret, P. 149. illi concilio interfuiſſe jam obſervatum eſt.

Quocumque igitur ſe vertat Germonius, à triplici temeritatis nota ſeſe eximere vix ac ne vix quidem valeat; cùm nullo adſtipulante probabili ſuffragio; immo indiciis omnibus repugnantibus, primùm prædicta verba *recens intruſa* eſſe prædicat, tum *conſultò & per fraudem intruſa* ponit; poſtremò *à Gotheſcalci & Ratramni fautoribus* hanc fraudem factam ſe jure

ſuſpicari poſſe arbitratur. Itane licet dialecticis quibuſdam argutiis de majorum fama pro libito ludere? Si periculoſum eſt de iis, qui ſe tueri jam nequeunt, etiam cùm adeſſe videtur cauſa probabilis, contumelioſum ferre judicium; religioſos viros atrociſſimo perfidiæ crimine, rerum geſtarum veritate atque omnibus earum adjunctis adverſantibus inſimulaſſe, quis ſub juſto judice tolerandum ſibi perſuadeat? Sed quò rapior? neminem maledicto proſequi, neminem lædere, tantùm læſæ virorum innoxiorum famæ conſulere eſt animus. Itaque quod temere factum ignoſcat Deus, enixiſſimè rogo; & hæc ex animo precatus, ad argumentum Diſceptatoris regredior.

Cùm Germonio tam neceſſaria videretur hæc conſecutio, ut ſi ab aliquo conſultò intruſa ſint memorata verba, à Ratramno aut Gotheſcalco aut eorum fautoribus intruſa eſſe neceſſe ſit; primùm expendendum ei erat, utrùm in aliquem eorum perfidiæ hujus ſuſpicio conveniret; tum ubi approbaſſet in nullum vel tenuiſſimam ejus umbram cadere, recta ratio jam poſtulabat, ut verba quæ intruſa primùm ſuſpicabatur, primigenia eſſe

poſtmodum concluderet. Sic enim ex ejus mente rectè ratiocinari licet. Verba, *Gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, trina & una unitas*, aut à Gotheſcalco, vel Ratramno eorumve fautoribus intruſa ſunt, aut nullatenus ſunt intruſa, ſed primigenia. Atqui ſecundùm allatas rationes contra omnem fidem eſt, ea aut à Gotheſcalco, aut à Ratramno eorumve fautoribus eſſe intruſa. Nullo igitur pacto intruſa credenda ſunt, ſed primigenia.

In hac ſententia mentem obfirmare facile ei fuiſſet, conſideranti Gotheſcalcum ac Ratramnum cauſam veritatis tueri, ac veritatem furtivis hujuſmodi non indigere ſubſidiis. Sed quia Germonius iniquam in toto hoc negotio exſtitiſſe Hincmari cauſam, aut ignorare videtur, aut certè neſcire ſe ubique ſimulat, ignorantiâ quidem ſeu diſſimulatione tanto iniquiori tantoque inexcuſabiliori, quanto jam minùs eſt anceps ea de re Eccleſiæ tot ſæculis obfirmata ſententia; non abs re fuerit pleniùs hoc demonſtrare.

CAPUT XVIII.

In controverſia, utrùm dicenda, an non dicenda eſſet trina deitas, iniquam Hincmari, juſtam Gotheſcalci exſtitiſſe cauſam.

PRIMÒ quidem certum eſt, Hincmarum, dum uſum in Eccleſia jam diu receptum cantandi *Te trina deitas unaque poſcimus* abrogare voluit, novitatem inducere molitum eſſe, Gotheſcalcum autem ejus conatibus intercedendo antiquitatis defenſorem exſtitiſſe. Cùm autem in religione novitas omnis ſuſpecta eſſe debeat, vel hinc liquidum eſt quàm meritò Gotheſcalcus adversùs novas Hincmari molitiones ſit commotus.

Neque in hoc tantùm Hincmarus novitatem induxiſſe convincitur, quòd vocabulum novum *ſumma*, ſeu *ſancta*, pro úſitato ac recepto *trina*, in hymno eccleſiaſtico ſuppoſuit; ſed & quòd hac mutatione effecit, ut hic hymnus contra morem Eccleſiæ ſolius deitatis invocatione, nulla Trinitatis facta commemoratione, clauderetur. Morem hunc teſtatum

faciunt quotquot in totius anni Officiis decantantur hymni. Percurrantur re ipſa ſinguli : ſi unum excipias, qui per orationem ad Redemtorem noſtrum deſinit, omnes terminantur per invocationem aut laudem ſanctæ Trinitatis triumve perſonarum divinarum, ac ne unus quidem per ſolius deitatis invocationem. Piæ huic tamque generaliter receptæ conſuetudini morem geſſit, qui hymnum Martyrum cum verſu *Te trina deitas unaque poſcimus* compoſuit; atque hunc mutare etiam ipſi Hincmaro, credo, religioni fuiſſet, ſi ſe ab hac conſuetudine, ſubtracto *trina*, recedere attendiſſet.

Hæc ſanè cauſa & ratio juſta fuit, ob quam & plurimæ inſignes eccleſiæ atque Congregationes verſûs *Te trina deitas* retinentiſſimæ fuerunt, & multæ aliæ, quæ primùm mutationem Hincmari ſuſceperant, poſtmodum in reformatione Breviariorum priſtinum uſum revocarunt. Ceterarum verò eſt ſeriò recogitare, num hæc eadem cauſa ſatis idonea ſit, quæ ipſas ad illarum exemplum imitandum provocet. Primæ huic cauſæ addo & aliam, quæ non minoris fortitan momenti videatur.

Licèt Hincmarus non perverſa fide hoc tentarit, ſed vana formidine perculſus, ne trinam deitatem dicendo, noſtra de unitate deitatis fides vacillaret; fatendum tamen eſt, eum vetando ne trina deitas diceretur, plurimum de integritate fidei imprudenter detraxiſſe, atque aperuiſſe oſtium, quo hæreſis jam pridem proſcripta ac peremta rurſus in Eccleſiam illaberetur ac reviviſceret.

Notum eſt omnibus atque pervulgatum, duas circa myſterium Trinitatis exſtitiſſe hæreſes, quibus ſancti patres pari ſemper ſtudio obſtiterunt, Sabellianam ſcilicet, & Arianam. Et utramque quidem ſimul repellit verſus *Te trina deitas unaque poſcimus*: ſed ubi ſupprimitur *trina*, jam patet Sabellianæ locus, ut rectè notat Gotheſcalcus in ſchedula; & ubi *ſumma* ejus loco ſubſtituitur, fides inducitur Arianæ quodam modo cognata perfidiæ.

Quidquid enim in Scripturis de Deo ſimpliciter traditur ac docetur, hoc Ariani uni Deo Patri attribuebant: ideoque cum illis expoſtulat Hilarius lib. 4. de Trinit. n. 8. quòd *conantur, ſolâ Dei Patris divinitate celebratâ, Filio auferre quòd Deus eſt, quia*

ſcriptum ſit, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus unus eſt, & hanc eorum perverſitatem pluribus exinde idem Sanctus proſequitur, quæ videſis. Dei tamen nomen Filio non negabant, ſed Deum minorem, Deum non verum, Deum ex nuncupatione eum ſentiebant. *Aiunt namque hæretici*, infit rurſum de illis Hilarius ibid. n. 3. *non ex Deo eſſe Chriſtum, id eſt Filium non ex Patre natum, neque Deum ex natura, ſed ex conſtitutione eſſe, quia ſicut dii plures ſunt, ita & hic Deus ſit.* Hinc & ab eodem Hilario catè ac ſapienter retegitur & arguitur fallacia Auxentii, qua ille hæreticus profitetur ſe credere *in unum ſolum verum Deum Patrem omnipotentem, & in Filium ejus unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ante omnia ſecula & ante omne principium natum ex Patre Deum verum filium ex vero Deo patre.* Fallacia autem ejus in hoc erat, quòd cùm Filium profiteri verum Deum putaretur, tantùm verum filium prædicaret, *ut in Patre* (ſolo) *veritas Dei eſſet, in Chriſto veritas tantùm filii ſcriberetur.*

Hilar. cont. Auxent. n. 14.

Ibid. n. 8.

Ex his nemo non videt, quàm avidè hæretici illi, qui *unum ſolum verum Deum patrem omnipotentem* prædicant, hunc verſum *Te ſumma deitas unaque*

poſcimus arriperent atque concinerent, utpote in quo doctrina perverſitati ſuæ omnino accommoda continetur. Summam deitatem unam ac ſolius Dei Patris eſſe volunt : hancque fidem ſuam hoc verſu egregiè confirmatam eſſe contendent. Ab eo quidem plurimùm abſum, ut Hincmari mentem accuſem ; ab horum hæreticorum ſententia longè alienam fateor ultro atque conſentio : verùm ejus etiam verba cum illis non concordare, nec ulli offenſioni eſſe poſſe percuperem.

Præterea ille verſus, *Te trina deitas unaque poſcimus*, nihil continebat, niſi quod communi utriuſque Eccleſiæ cùm græcæ tum latinæ uſu ac ſermone receptum erat. Uſum eccleſiæ græcæ probat Gotheſcalcus ex verbis concilii ſexti generalis, in quo cùm Tritheitæ, ſeu trium deitatum cultores expreſsè damnati ſint, nullo tamen non conſentiente lectum recitatumque eſt *trina & conglorificanda deitate.* Neque id mirum, cùm Gregorius Nazianzenus per antonomaſiam dictus Theologus, in vocabulis propriis, & quæ Deo aptè conveniant, deligendis accuratiſſimus, in carm. 3. de principiis v. 46. dixerit, θειοτὴ

γὰρ ἑνότης, *Trina enim eſt unitas.* Unde & in poem. de vita ſua quærit, πῶς ἡ μονὰς τριάζεται, ἢ τριὰς πάλιν ἑνίζεται, *quomodo unitas ſit trina, aut rurſum trinitas ſit una.* Alia hujuſmodi dicta apud eumdem patrem obvia prætereo.

Similiter & Eccleſiæ latinæ morem Gotheſcalcus confirmabat Proſperi, Prudentii, Aratoris & Sedulii dictis, quibus & addo illud Conſentii ad Auguſtinum ſcribentis epiſtolâ inter Auguſtinianas 119. n. 4. *Patris perſona non eſt Filii, nec Filii perſona eadem eſt Spiritusſancti.* UNA *virtus eſt, quam* TRINA *poſſidet virtus.* Quid porro eſt *una & trina virtus*, niſi *una & trina deitas*? His Auguſtinum ipſum concinere ne Hincmarus quidem inficiari valuit. Etiamnum Sermonem ejus nunc 52. aliàs de verbis Domini 63. pleriſque in manuſcriptis *De una Trinitate trinaque unitate* inſcribi, in noviſſima editione obſervatum eſt.

Sed quia Hincmarus trinam deitatem hoc inani obtentu reſpuebat, quòd hæc locutio tres deitates ſibi ſonare videretur; atque ſecundùm Auguſtini regulam, quidquid de Deo ad ſe ſeu abſolutè dicatur, id plurali numero enuntiare nefas eſſet: meritò ad grammaticos provocat Go-

theſcalcus, utrùm *trina deitas ulla ratione pluralis exſiſtat numeri*, an potiùs *ſingularis*.

Reſpondet quidem Hincmarus, P.478. Donato docente, alia eſſe nomina *ſono ſingularia*, *intellectu pluralia*, *ut gens, concio, plebs, multitudo*. Sed hæc nihil ad rem, cùm *trina deitas* non hujuſmodi ſit nomen collectivum. Verùm addit: *Sicut & quædam ſunt nomina mobilia intellectu in ſe pluralitatem habentia, & adjuncta ſingularis numeri fixis nominibus pluralitatem monſtrantia . . . de quibus quædam ponimus exempli gratiâ, tertia hora, trina repetitio, trima juvenca, trigama mulier.*

Sed neque hæc cauſam Hincmari magis adjuvant. Nam licèt adjuncta illa nomina *tertia, trina, trima, trigama*, pluralem quemdam numerum deſignent, numerus tamen ille non in ſubſtantiva quibus copulantur, ſed in aliud quoddam ſubauditum cadit. Quippe ut ipſiſmet Hincmari exemplis utar, *tertia hora* non ſunt plures horæ, ſed una quam duæ aliæ præceſſerint; *trina repetitio*, una eademque res tertiò repetita; *trima juvenca*, una & ſingularis juvenca tres habens annos; *trigama mulier*, non mulieres plures, ſed una quæ tres viros habuit. Sic & cùm dicitur *trina deitas*, non hoc

ſonat tres deitates, ſed unam quæ tres proprietates perſonales habeat. Ideo aptè loquitur Gotheſcalcus, dum deitatem & *naturaliter unam* & *perſonaliter trinam* credendam eſſe defendit. Neque video in quo ei adverſetur illud Boetii lib. de Trinit. poſt med. quod Hincmarus ipſi opponit, *Non igitur ſi de Patre & Filio & Spiritu-ſancto, tertiò prædicatur Deus, idcirco trina prædicatio numerum facit.* Nam ſi trina prædicatio Dei numerum non facit Deorum, nec trinæ prædicatio deitatis numerum facere debet deitatum.

Apud Hincm. p. 415. *Ibid. p. 479.*

Quamobrem Hincmarus contra grammaticam peccaſſe convincitur, dum in hac locutione *trina deitas*, deitatis vocabulum, quod certè eſt numeri ſingularis, ſic accipi voluit ut pluralis numeri. Peccat & contra dialecticam, cùm Ratramno aliiſque eruditis viris docentibus, quòd *ſicut trinus & unus Deus, ita trina & una deitas & debeat & catholicè valeat dici*, Deum unum & trinum catholicè dici concedit, & tamen unius ac trinæ deitatis prædicationem blaſphemam eſſe vult & hæreticam. Quaſi verò ſi *trina deitas* tres deitates ſonet, non etiam tres Deos ſonare debeat *trinus Deus:* aut

Apud Hincm. to. 1. p. 413.

aut ſi *trinus Deus* dici poſſit non intellecto numero Deorum, non conſequatur ut & perinde *trina deitas* dici valeat non intellecto numero deitatum. Quid eſt quòd quemadmodum conſentit Deum unum & trinum catholicè dici, quia, inquit, *in eo quo trinus eſt, unus non dicitur, & in eo quo unus eſt, trinus non dicitur; ſed ut D. Ambroſius cantat, unus eſt potentialiter, id eſt ſubſtantialiter, ſicut Auguſtinus dicit, & trinus perſonaliter*: ita Gotheſcalcum non audiat trinam & unam deitatem prædicantem; cùm ille pariter non in eo trinam dicat quo unam, neque in eo unam quo trinam; ſed ſe eam *naturaliter unam* & *perſonaliter trinam* credere apertè profiteatur? Cur primum catholicum & orthodoxum, poſtremum blaſphemum & hæreticum in uno & eodem tractatu pronuntiat? Nonne hîc pondus & pondus; aut certè evidens dialecticæ defectus? *to. 1. p. 464.*

Ejuſdem præſulis eſt & contra ſanam Theologiam peccatum, dum, ut mox demonſtravimus, uſum Eccleſiæ cùm græcæ, tum latinæ traditione receptum improbat, & abrogare molitur. Didicerat ab Auguſtino lib. 3. de doctr. Chriſt. c. 2. regulam, qua de dictionis alicujus veritate

dijudicetur, eam nimirum exigendam eſſe ad normam fidei, quam *è Scripturarum planioribus locis & Eccleſiæ auctoritate* quiſque percepit. Regulam approbavit commendavitque: ſed ei morem gerere ex præoccupatæ mentis affectu neſcivit, atque Eccleſiæ auctoritatem, quam laudata à Gotheſcalco conciliorum patrumque ſcripta teſtatam faciebant, non agnovit.

Contra æquitatem demum delinquit, dum poſt apertam atque perſpicuam fidei profeſſionem, qua Gotheſcalcus ſe unum Deum unamque trium perſonarum divinarum deitatem credere, tres verò Deos aut tres deitates credentes à ſe damnari & anathematizari ſcripto conteſtatus eſt, ſic cum eo egit, quaſi tres Deos aut tres deitates prædicaret.

Primùm ſi quidem ille quo ſenſu trinam deitatem defendat, ſic in ſche-
Apud dula explicat; *Patet prorſus quòd natu-*
Hincm. *raliter unus & perſonaliter trinus eſt Deus;*
p. 416. & mox, *Sancta Trinitas ſicut una eſſentialiter atque naturaliter, ſic procul dubio eſt perſonaliter trina deitas.* Præmiſerat jam antea, à concilio ſexto generali
Ibid. *jure damnatos & anathematizatos Arianos*
p. 415. *colentes τριθεοτείας, id eſt tres deitates.* Subin-

deque confirmarat, ſeſe ultro ap-
probare, quòd ſimul Græci Latini-
que, conſenſu pari, damnaverint & «
damnent, anathematizaverint & ana- «
thematizent Arianos, qui colunt tres «
majeſtates, tres pietates, tres poteſta- «
tes, tres Deos atque tres deitates.
Ipſe verò ut fidem ſuam integram &
ab omni ſuſpicione liberam oſtendat,
his præmiſſis concludit: Per hoc non « *Pag.*
ſecundùm Arianos, quod abſit, tres « 416.
poteſtates, nec ſecundùm Sabellia- «
nos poteſtas perſonaliter eſt una; ſed «
ſecundùm Catholicos *poteſtas eſt una* «
naturaliter, & perſonaliter trina. «

Hæc apertè profitentem qui audie-
rit, jam non moveri debet eo quod
idem poſtmodum ſubdit: Quòd vi- « *Pag.*
delicet ſicut unamquamque ex Tri- « 417.
nitate perſonam quiſquis eſt catho- «
licus credit & confitetur integrum, «
plenum, perfectum penitus Deum; «
ſic unicuique perſonæ ſuam propriam »
deitatem integram, plenam, perfe- «
ctam penitus ineſſe credat, confi- «
teatur & aſſerat..... In hoc enim li- «
quet luce clariùs, quin patet ſole »
ſplendidiùs, quòd ineſt unicuique «
perſonæ ſua propria deitas atque di- «
vinitas: quia re vera nequaquam «
aſſumſit humanitatem, quod abſit, «

ullo modo tota Trinitas, ſed ſola tantummodo Filii deitas. Quod enim ſuperiùs dixit de una & trina deitate, ut ſcilicet *eſſentialiter & naturaliter* ſit una, & trina *perſonaliter*, id modò eſt aptandum ad hoc quod ait, *unicuique perſonæ ſuam propriam ineſſe deitatem* : ut nimirum ſingulis perſonis propria ſit perſonaliter, & omnibus ſimul una & communis eſſentialiter atque naturaliter.

Gotheſcalci igitur ſententiam damnare nemo niſi iniquè valeat. Arguendam tamen quis forſitan exiſtimabit ſaltem inuſitatam locutionem. Verùm & ab hoc eum crimine facilè abſolvet, qui in veterum lectione peregrinus prorſus non fuerit. Quia tamen in hujuſmodi locutione ſpecialis occurrit difficultas, nemini non gratum fore puto, ſi non hunc prætteriero locum, quin priùs cum noſtra antiquorumque fide quomodo conſentiat, explanaverim. Quod libenter paucis aggredior.

CAPUT XIX.

In eo quod ait Gotheſcalcus, propriam unicuique Trinitatis perſonæ ineſſe deitatem, nihil eſſe à veterum patrum locutione, nihil à noſtra fide abſonum.

QUID apud veteres magis tritum magiſve uſitatum, quàm ut Pater *natura innaſcibilis* ſeu *ingenita*, Filius *eſſentia* ſeu *natura nata*, aut *divinitas genita* ſeu *unigenita* appellentur? Vide Ignatium epiſt. 3. Auguſtinum lib. 7. de Trinit. c. 2. Fulgentium lib. de fide & Symbolo c. 3. Anſelmum monolog. c. 43. Habes apud Hilarium lib. 8. de Trin. n. 52. Filium non eſſe naturæ à Patre alienæ, *neque per creationem in Deum comparatæ, neque ex portione Dei in Deum perfectum natæ, ſed perfecta nativitate in Deum perfectum* GENITÆ DIVINITATIS; & lib. 10. n. 8. *Ad contumeliam unigenitæ divinitatis non pertineret.* Divinitas autem, quatenus *genita* aut *unigenita*, certe propria eſt Filii, quamvis ut divinitas, communis ſit Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Utrumque ſimul complectitur idem Hilarius in Pſal.

144. n. 3. ubi egregiè ait, quòd *ex Patre Deo genita, & in Filio nata divinitas, unum eos eſſe teſtetur.* Quaſi diceret, etſi Filii propria eſt nata ac genita, prout nata ac genita, divinitas; tamen dum *ex Deo Patre nata* creditur, non alia à deitate Patris, adeoque Patris & Filii divinitas una creditur.

Quo modo autem de divinitate, eo etiam & de natura aut eſſentia idem ſanctus doctor loquitur, & frequentes apud eum ſunt locutiones *gignentis* & *genitæ naturæ*, *innaſcibilis* & *unigenitæ eſſentiæ*, aliæque hujuſmodi, de quibus videſis lib. 9. de Trin. n. 51. lib. de Synod. n. 35. 36. 37. 60. &c. Ubi contra eruditum Theologum obſervo, eum *gignentis* aut *genitæ eſſentiæ* nomine perſonam intelligere: uti perſpicuum eſt ex his libri de Synodis n. 42. *Non enim religioſa unitas nominis* (Dei,) *ex indifferentis naturæ eſſentiâ conſtituta, perſonam genitæ ademit eſſentiæ*: hoc eſt, unius Dei fides non excludit perſonam Filii.

Quod confirmare licet ex libro 9. de Trinit. ubi primùm ait n. 38. *Exinaniens ſe igitur ex Dei forma, ſervi formam natus acceperat: ſed hanc carnis aſſumtionem ea cum qua ſibi naturalis unitas erat, Patris natura non ſenſerat.* Tum hoc ipſum ſic

aliis verbis rurſum repetit n. 51. *Ignorandum exiſtimas..... Patrem extra hanc humanarum paſſionum aſſumtionem in illa incontaminatæ naturæ ſuæ beata æternitate ſine carnis noſtræ ſuſceptione manſiſſe?* Quid enimvero ſibi vult primo loco *natura Patris* quæ carnis aſſumtionem non ſenſerat, niſi quod poſtremo *Pater*, hoc eſt, perſona Patris? adeoque in primo illo loco *natura Patris* non ſimpliciter accipienda eſt ut natura; ſed ut natura Patris, ſeu ut natura Patris propria, ut natura denique affecta proprietate quæ perſonam Patris conſtituit.

Jam verò, ut ad Gotheſcalcum redeamus, nemo non videt eum & catholicè locutum, & orationem ſuam veterum locutioni accommodaſſe cùm dixit: *Ineſt unicuique perſonæ propria deitas*, hoc eſt deitas eâ affecta proprietate quæ perſonam quamque conſtituit. Qua ratione Patris propria eſt deitas gignens, Filii deitas genita, Spiritus-ſancti deitas ex utroque procedens.

Neque minùs catholicum eſt quod ſubjungit: *Re vera nequaquam aſſumſit humanitatem, quod abſit, ullo modo tota Trinitas, ſed ſola tantummodo Filii deitas.* Nam ut proximè dicebat Hilarius,

carnis ſuſceptionem Patris natura (profectò nec Spiritus-ſancti) *non ſenſerat*. Et ideo damnati ſunt olim Patripaſſiani, quia Patrem perinde atque Filium naturam noſtram ſuſcepiſſe, & crucem atque mortem paſſum eſſe dicerent.

Vide Serm. 52. Auguſt. n. 8. &c. *Lib. 10. de Trin. ſub fin.*

Chriſti quidem carnem tota operata eſt Trinitas; ſed *nequaquam aſſumſit humanitatem ullo modo tota Trinitas:* quia, ut appoſitè concludit Vigilius Tapſenſis, *veriſſimè Verbum caro factum eſt, ſed ſolum propriè perſonaliter, non cum Patre aut Spiritu-ſancto naturaliter.*

Lab. to. 3. p. 497.

Placet & ex uno concilii Epheſini loco, quàm antiqua quámque orthodoxa ſit Gotheſcalci non ſententia solùm, ſed & loquendi ratio, demonſtrare. In hac ſynodo Acacius Melitenæ eccleſiæ epiſcopus act. 1. de Neſtorio conqueritur, quòd *ex illius interrogatione quæ abſurda erat, eo reſponſurum* (ſibi) *adigere contendebat, ut vel unigeniti deitatem incarnatam inficiaretur, vel certè, quod impium erat, Patris & Filii & Spiritus-ſancti deitatem unà cum Verbo carnem ſumſiſſe profiteretur*; ſeu ſecundùm aliam pariter antiquam verſionem à Stephano Baluzio vulgatam, quòd *ex interrogatione ejus indecenti exſiſtente neceſſitatem imponebat reſpondentibus, aut omnino negare*

Nov. coll. concil. p. 464.

unigeniti deitatem eſſe humanatam, aut confiteri, quod erat impium; quia & Patris & Spiritus-ſancti deitas ſimul incarnata eſſet cum Verbo. Græcum textum, cui lubet, in conciliis apud Labbeum loco citato conſulat.

Acacius ille, qui in concilio Epheſino, ut ex iteratis illius interlocutionibus colligitur, non infimum habuit locum, Gotheſcalco de abſtruſiſſimo myſterio loquendi formam videtur præbuiſſe. Quare enim, ſecundùm antiſtitem illum, *impium eſt dicere quòd & Patris & Filii & Spiritus-ſancti* DEITAS *ſimul incarnata eſſet cum Verbò?* Quia videlicet, ſecundùm Gotheſcalcum, *nequaquam aſſumſit humanitatem tota Trinitas, ſed ſola tantummodo Filii deitas.* Cur rurſum Acacius impium judicat *unigeniti deitatem incarnatam* inficiari: niſi quia cum Gotheſcalco ſentit *quòd ineſt unicuique perſonæ ſua propria deitas*, atque propriæ unigeniti deitati proprium eſt humanam aſſumſiſſe naturam?

In hujuſmodi locutionibus, quæ nunc minùs familiares, ſed antiquis, ut ex allatis exemplis apparet, exſtiterunt uſitatiores, nihil eſt quod quemvis terreat quaſi fidei noſtræ abſonum. Quid enim eſt *deitas*, niſi natura divina? quid verò exempli gratiâ

natura genita, niſi natura Filii propria? Si igitur *natura genita* id etiam eſt, quod Filii perſona, ſeu natura eâ affecta proprietate, qua Filius à Patre & Spiritu-ſancto diſtinguitur, id pariter erit & deitas Filii propria. Ergo & *unicuique perſonæ ſuam propriam deitatem ineſſe* nihil aliud ſonat, niſi unicuique perſonæ naturam eſſe divinam eâ affectam proprietate, qua à ſe invicem ſingulæ diſtinguuntur.

At ex eo quòd Patris eſt propria deitas, Filii propria deitas, ac propria deitas Spiritus-ſancti, non ſequitur quod volebat Hincmarus, ut tres ſint deitates*: quemadmodum ex eo quòd propria Patris eſt natura gignens ſeu ingenita, Filii natura genita, Spiritus-ſancti natura ex utroque procedens, non conſequitur ut tres ſint naturæ.

*Hincm. to. 1. p. 491.

Quod & illuſtrare juverit hac Auguſtini ratiocinatione: » Quoniam verò & Verbum ſapientia eſt, ſed non » eo Verbum quo ſapientia; Verbum » enim relativè, ſapientia eſſentialiter » intelligitur: id dici accipiamus *Verbum*, ac ſi dicatur *nata ſapientia*, ut ſit » & filius & imago, & hæc duo cùm » dicuntur, id eſt *nata ſapientia*, in uno » eorum quod eſt *nata*, & Verbum &

Lib. 7. de Trin. c. 2.

imago & filius intelligatur; at in „ altero quod eſt *ſapientia*, (quoniam & „ ad ſe dicitur, ſe ipſa enim ſapiens eſt,) „ etiam eſſentia demonſtretur, & hoc „ ejus eſſe quod ſapere. Unde & Pater „ & Filius ſimul una ſapientia, quia „ una eſſentia, & ſingillatim ſapientia „ de ſapientia, quia eſſentia de eſſentia. „ Hæc Auguſtinus.

Simili ratione cùm dicitur *propria Filii deitas*, id ſic accipiendum, ut quâ *propria*, utpote proprietate relativa, relativè, quâ *divinitas*, ad ſe & eſſentialiter intelligatur; adeoque quâ *propria*, non ea ſit Filii quæ Patris & Spiritus-ſancti deitas; quâ *deitas*, non alia ſit atque Patris & Spiritus-ſancti.

Hinc & percipiuntur familiares ſymbolis, patribus atque conciliis hæ locutiones, *Deus de Deo, lumen de lumine, eſſentia de eſſentia, ſapientia de ſapientia, conſilium de conſilio, voluntas de voluntate*, aliæve ſimiles. Non enim, ut nuperus ſcriptor, de quo plura in appendice dicturus ſum, malè interpretatus eſt, his loquendi modis plures numero dii, pluresve eſſentiæ, non ſapientiæ aut voluntates numero plures prædicantur: ſed per particulam *de* notatur relatio, quæ perſonas diſtinguit; verbis autem Dei, eſſentiæ,

ſapientiæ, conſilii, voluntatis, intelligitur quod ad ſe, ſeu eſſentialiter dicitur, quodque numerum non recipit. Nam cùm eſſentia ſeu ſubſtantia divina ſimplex omnino ſit ac diviſionis expers, communicari nequit niſi tota & integra; ideoque & in Patre dante, & in Filio accipiente, una eademque ſit neceſſe eſt. Quocirca eſſentia de eſſentia, voluntas de voluntate non ſunt duæ eſſentiæ, duæ voluntates, ſed duarum perſonarum
Lib. 7. de Trin. c. 2. n. 6. „ una eſſentia, una voluntas. Lumen „ ergo Pater, ut Auguſtini verbis quæ„ſtionem hanc abſolvam, lumen Fi„lius, lumen Spiritus-ſanctus; ſimul „ autem non tria lumina, ſed unum „ lumen. Et ideo ſapientia Pater, ſa„pientia Filius, ſapientia Spiritus-ſan„ctus; & ſimul non tres ſapientiæ, ſed „ una ſapientia. Et quia hoc eſt ibi „ eſſe quod ſapere, una eſſentia Pater „ & Filius & Spiritus-ſanctus. Nec „ aliud eſt ibi eſſe, quàm Deum eſſe; „ unus ergo Deus Pater & Filius & Spi„ritus-ſanctus.

His ita explanatis, jam tempus eſt ut ad id unde non in caſſum digreſſus ſum, tandem redeat oratio, & Germonianæ concluſioni, falſis principiis nitenti, aliam ſufficiam rerum geſtarum veritati congruentiorem.

CAPUT XX.

Concluſio, qua Germonius tertium ſuum caput claudit, reformatur.

GOTHESCALCI & ſociorum in hac controverſia cùm integra ſit fides & juſta cauſa judicio Eccleſiæ approbata; cúmque contrà Hincmari cauſa multis capitibus ſit apertè injuſta: quis Germonium aut ignorantiæ, abſit verbo injuria, aut iniquæ diſſimulationis non condemnet, dum Hincmarum in hac ipſa cauſa excipi vult velut oracula veritatis dictantem, & Gotheſcalcum ac ſocios traducit velut falſitatis patronos atque defenſores? Certè, ut vidimus, hi antiqui uſus conſtantiſſimi exſtiterunt propugnatores. Uſum illum certa traditione confirmarunt. Verba libri contra quinque hoſtium genera, etſi ſententiæ ſuæ valde accommoda, nedum falsò intruſerint ipſi, numquam citaſſe leguntur. Hujus libri ab aliis ad Hincmarum, quàm à Gotheſcalci amicis, pervenit notitia. Hi demum ſic ſe in ceteris geſſerunt, ut non præconceptam opi-

nionem per fas & nefas tueri, ſed Eccleſiæ traditionem veris patrum & conciliorum teſtimoniis adſtruere & illuſtrare bona & ſincera fide ſtuduerint.

Et verò quid opus eſt falſa confingere, ubi vera adſunt & idonea teſtimonia? Illud ſanè, in iis maximè quæ ad religionem attinent, illud inquam veritatis eſt privilegium, ut ejus defenſores in ipſius ſinu abunde inveniant quo illam tueantur, nec titulis egeant ſuppoſitis aut fraudulentis. Quamobrem Ratramnus & Gotheſcalcus, ut ex hujus ſchedula liquet, cùm deſtituti eſſent libri contra quinque hoſtium genera auctoritate, & hæc ignota illis adhuc eſſet, monumentis aliis ſe ſatis ſuperque fultos arbitrati ſunt, ut potentis præſulis novitatem aggrederentur ac debellarent, nec de fingendis ullis teſtimoniis quidquam cogitarunt. Libri prædicti auctoritas, ut uſuvenire ſolet quoties aliqua quæſtio non ſine ſtrepitu agitatur, ab aliquibus ſtudioſis detecta & pervulgata, acceſſit cauſæ; cauſæ verò bonitas nullatenus ex ea pendebat. Contrà hominis à veritate deficientis quantæ ſint anguſtiæ, quanta egeſtas, Hinc

marus exemplo eſſe poteſt. Præſuli huic Ratramnus & Gotheſcalcus veriùs, quàm ille ipſis, objectare potuiſſent, eum cauſæ ſuæ inopiâ coactum eſſe, ut patrum dicta nonnullis interpolationibus ad falſam ſententiam ſuam inflecteret & contorqueret. Neque neceſſe eſt plura harum interpolationum exempla hîc deſcribere. Vel ex duobus, quæ ſuprà pag. 58. retuli, quid in teſtimoniis veterum proferendis ſibi permiſerit hic præſul, quiſque judicabit.

Mitto ceteras Germonii obſervationes, in quibus nihil novum & quod non refutatum ſit, aut quod ad ipſius rem faciat, occurrit; & ad concluſionem venio, qua tertium caput ſuum ſic claudit. « Certum eſt igitur & indubitatum, interpolatum « olim fuiſſe à Gotheſcalci fautoribus « Auguſtini librum contra quinque « hoſtium genera, atque iſtam fraudem « ab Hincmaro detectam eſſe & demonſtratam coram rege, coram ſynodo Sueſſionenſi, coram illo ipſo « qui adulteratum codicem produxerat. Cui concluſioni falſis tantummodo præjudiciis atque argutationibus nitenti, hanc opponere licet veriorem ac certioribus argumentis fusè probatam.

Certum eſt & indubitatum, librum contra quinque hoſtium genera Carolo Calvo regi oblatum eſſe, in quo continerentur hæc verba, *Gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, trina & una unitas*; librum hunc nullas novitatis notas, nulla adulterationis indicia præ ſe tuliſſe; nec ab ullo Gotheſcalci fautore aut regi datum, aut Hincmaro objectum eſſe; Hincmarum, ejus auctoritate attonitum atque perculſum, curaſſe ut plurima ejuſdem libri ad ſe undequaque afferrentur exempla; atque in horum quidem pluribus defuiſſe prædicta verba, ea tamen inſuper in nonnullis exſtitiſſe quaternionibus, quos licèt *noviter ſcriptos* dicat Hincmarus, conſtat tamen eos ante motam controverſiam in monaſteriis fuiſſe aſſervatos. Et ex eo quòd ſe deprehendiſſe ait idem præſul, quaterniones illos ex eodem fonte ſeu archetypo manaſſe, ex quo liber regi datus tranſſcriptus eſt; conſequitur ut codicem cùm libro regi dato, tum allatis quaternionibus antiquiorem detexerit. Quocirca manifeſtum eſt, eum in hac codicum varietate, utri veriores eſſent, dubium & ancipitem ita fuiſſe, ut ex regula, quam Auguſtinus de ambiguis proponit, rem

rem decidendam cenſuerit. Igitur in ſollemni cœtu lectis ſecundùm hanc regulam, quæ in libro contra quinque hoſtium genera præcedunt & conſequuntur memorata verba *Gratias tibi vera* &c. iiſque cùm fide, quæ nobis à patribus tradita eſt, ſecundum ejuſdem Auguſtini regulam comparatis, cùm nullus adeſſet, qui veram verborum *trina veritas* intelligentiam ſuggereret, atque Hincmarus ex præconcepta opinione tres veritates in Deo duobus hiſce verbis prædicari, adeoque doctrinam cum præcedentibus & conſequentibus & cum patrum fide pugnantem in eis contineri, nullo repugnante contenderet; hac falſa expoſitione effecit, ut liber integer ac ſincerus *falſatus* judicaretur. Ex quo & certum eſt, judicium hoc mera falſitate nixum, irritum prorſus ac nullum eſſe, ac nihil inde ſuppetere Germonio, unde novam Auguſtini culpet editionem. Quid tamen in illa carpat videamus.

by Google

CAPUT XXI.

An eorum qui novæ operum Auguſtini editioni præfuerunt, culpanda ſit ea agendi ratio, qua ſe ſe in editione libri contra quinque hoſtium genera geſſerunt.

GERMONIUM in iis quæ toto capite quarto ediſſerit, pedetentim ſequi ſupervacaneum puto. Nam cùm fundamentis jàm dirutis ac divulſis, veluti firmis ac ſolidis, totam orationem ſuam ſuperſtruat, ipſa per ſe corruat & collabatur neceſſe eſt. Ut igitur dicta illius ſummatim perſtringam, duo maximè cum noviſſimis operum Auguſtini editoribus expoſtulat: primum, quòd in editione libri contra quinque hoſtium genera, verba, *Gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, trina & una unitas* retinuerint: alterum, quòd nulla annotatione monuerint quoſdam exſtare codices, in quibus deſiderarentur. Et hanc quidem duplicem culpam eam eſſe putat, quæ maximâ

veniæ indulgentiâ indigeat, & civilem ac moderatum poſtulet animum, cujus ſpecimen ſe præbere velle blanda præfatione pollicetur : quaſi res ipſa per ſe ſatis ſit acerba, ut aſperioribus verbis eam exacerbare non opus ſit.

Gratiam quidem ipſi habebunt Auguſtini editores pro exhibita urbanitate. Sed in quo ſit non dicam tam gravis, ſed vel ulla culpa ſuâ, flagitabunt, atque ab ipſo ad ipſum meritò appellabunt. Non enim è memoria ipſius excidiſſe debet, quam editoribus legem impoſuerit, cùm à primo appendicis ſuæ capite edixit: *Volo ut* p. 353. *priùs quàm aliquid abradatur aut immutetur, mendum eſſe conſtet.* Enimvero, inquient, lectio, quam retinuimus, jam obtinebat operâ Lovanienſium doctorum revocata, neque eam mendoſam eſſe ullo modo conſtat : immo aliam aliorum codicum vitioſam eſſe id maximè probat, quòd nihil ſollemnius, nihilque ſit frequentius, quàm ut cùm idem repetitur vocabulum, quæ intra repetitionem interjacent omittantur. Prudentis igitur editoris erat, nihil quidquam mutare.

Dicit Germonius, jam ab ætate

Hincmari plures antiquos codices conſultos, & in iis non apparuiſſe verba, *Gratias tibi vera & una Trinitas* &c. At inficiari nequit, illa etiam tum in codice regi oblato, in quaternionibus quibuſdam, & in alio exemplari antiquiori exſtitiſſe. Facilius autem eſt atque librariis uſitatius, præſertim ubi repetita occurrunt eadem vocabula, ſententiam aliquam prætermittere, quàm addere. Ideoque tutius etiam fuit prædicta retinere. Prætêrea Hincmarus nullos codices conſuluit, niſi ex vicinis locis feſtinatò conquiſitos & ad ſe delatos, hoc eſt niſi eos qui ex eodem forſitan archetypo, ut plerumque tum accidebat, exſcripti erant. Qui autem novam Auguſtini editionem adornarunt, non ad unos unius provinciæ, ſed ad quàm plurimos diverſarum regionum codices, puta ad Vaticanos decem, ad Germanenſem unum, ad Michaelinum, ad Remigianum, ad Ebrulphenſem, ad Arnulphenſem, ad Ciſtercienſem, ad Foſſatenſem, ad Colbertinum, ad codicem v. c. domini de Maran Toloſani, ad Turonenſem & ad alium eccleſiæ Lugdunenſis, librum hunc recognoverunt; & cùm in plu-

ribus eorum verba prædicta reperiſſent, quæ jam Lovanienſes è tribus Flandricis revocaverant, quid erat cur eadem removerent ?

Reponit Germonius, hanc lectionem olim ab Hincmaro publico in conventu falſi convictam. At qua quæſo ratione convictam ? Falſus Hincmarus, ac propriæ cauſæ ſtudio ſeductus, falſam adverſariis opinionem imponendo, falſam vocabulorum *trina veritas* interpretationem pro vera ſupponendo, trinam veritatem ac tres veritates diſtinguere aut nolens, aut, ut benigniùs loquar, neſciens, hac falſa interpretatione ceteros facilè perduxit, ut lectionem proſcriberent, qua tres in Deo veritates tresque deitates prædicari ſibi falsò perſuaſum erat. Quæ & qualis eſt hæc falſi convictio ?

Ceterùm lectio, quæ in noviſſima Auguſtini editione ſervata eſt, nihil inepti continet aut abſurdi, nihil falſi, nihil quod non præcedentibus aut conſequentibus conſentiat. Vocabula *trina veritas* & *trina unitas*, ob quæ Hincmarus illam ſpuriam ac rejiciendam judicavit, non modò conſentanea ſunt locutioni ſcriptorum, qui hujus libri auctori aut ſuperiores,

aut æquales, aut inferiores fuerunt, ſcripta Gregorii Nazianzeni, Auguſtini, atque ipſius Auguſtini diſcipulorum Conſentii & Proſperi, necnon Prudentii, Aratoris, Sedulii, concilii ſexti generalis; ſed & ſollemni Eccleſiæ judicio & uſu ſunt approbata. Neque tantùm approbata ſunt, cùm ſpreto novo Hincmari placito, pleriſque eccleſiis in hymno Martyrum nihil mutandum eſſe viſum eſt, ac ſubinde tota Eccleſia latina hymnum S. Thomæ de venerando Euchariſtiæ Sacramento cum verſu *Te trina deitas unaque poſcimus* recepit: ſed & ipſamet verba, propter quæ Germonius Auguſtini editoribus litem movet, in officiis eccleſiaſticis fuerunt conſecrata: quod nunc mihi paucis exponendum.

Qui de officiis divinis tractarunt, ſollemnitatem in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis Caroli Magni ævo inſtitui cœptam, ab aliis eccleſiis citiùs, ſeriùs ab aliis receptam fuiſſe tradunt. Qua de re conſuli poteſt noſter Edmundus Martene lib. de antiqua Eccleſiæ diſciplina circa divina Officia c. 28. n. 22. Omnibus autem, qui eccleſiam frequentant, palam eſt, antiphonam quæ in primis hujus feſti

Veſperis ad canticum *Magnificat* decantatur, à primis officii illius auctoribus deſcriptam eſſe ex libro contra quinque hoſtium genera, non quidem ex iis exemplis quæ Germonius ſecundùm Hincmarum ſincera eſſe vult, ſed ex iis quæ ſpuria & adulterata eſſe contendit. Ipſamet verba, *Gratias tibi Deus, gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, trina & una unitas*, quæ Hincmarus tamquam hæretica & blaſphema exhorreſcit, ejuſque pediſſequus reſpuit, ipſi delegerunt tamquam apta & idonea, quæ de altiſſimo Trinitatis myſterio fideles inſtruerent, eorumque animos ad illius laudem accenderent.

Noviſſimis quidem temporibus, qui divinis officiis recognoſcendis ac reformandis operam dederunt, grandi, ut facilè conjicere eſt, Hincmari *de non trina deitate* tractatu, ſeu potiùs, declamatione plus æquo permoti, & utrùm juſta an injuſta fuerit hæc declamatio, penitus non excutientes, illius opinioni morem geſſerunt, dictis genuinis aliena ſubſtituerunt, & ſuppreſſerunt vocabulum *trina*, cujus repetitio iteratâ quadam antitheſi non mediocrem huic antiphonæ gratiam ac venuſtatem conciliabat, &

ſingulis quibuſque ejuſdem antiphonæ membris totum Trinitatis myſterium, quod perſonarum trinitate non minùs conſtat, quàm unitate eſſentiæ, diſertè repræſentabat. Sed licèt modò canatur, *Gratias tibi Deus, gratias tibi vera & una Trinitas, una & ſumma deitas, ſancta & una deitas:* nemo tamen ita cæcus eſt, qui hæc verba vel ſic deformata ex integris libri contra quinque hoſtium genera exemplaribus deſumta eſſe non videat; nemo judicii ita hebetis, qui à quovis pio auctore, eum locum, ut inter Dei laudes decantaretur, ſeligendum fuiſſe, ac re ipſa ſelectum eſſe cenſeat, quem ille non ſatis accuratum ac reformatione egentem judicarit. Re ipſa recentior eſt hæc reformatio. Tota RR. PP. Cæleſtinorum Congregatio ad annum ſaltem 1612. in ſollemnitate ſanctæ Trinitatis conſtanter cecinit, *Gratias tibi Deus, gratias tibi vera & una Trinitas, una & trina veritas, trina & una unitas:* neque ab hoc uſu deſiit, niſi cùm Breviariis uti cœpit alienis, uti fidem faciunt omnia ad unum Breviaria ad eorum uſum edita; quorum poſtremum prædicto anno 1612. cum antiphona, in qua *trina veritas* & *trina unitas* celebratur, typis mandatum eſt.

Cùm itaque nihil ab his verbis contra rectam fidem ſit timendum, cúmque ſæpe contingat, ut librarii feſtinantes ad verbum ſecundò repetitum, primo omiſſo ceteriſque interjacentibus relictis, tranſeant, nihil erat cur ſupprimerentur. Ii vero in hujuſmodi locis librariorum lapſus ita frequentes ſunt, ut prudentiæ ſit eos plerumque reticere; ne importunè inutiliterque diſtrahatur lectoris animus, ſi per crebras notulas de ſingulis moneatur.

Si autem in propriis patrum operibus laudabilis eſt hæc, ut ita dicam, negligentia, quanto magis in alienis? Neque verò exiſtimarunt noviſſimi operum Auguſtini editores, eam à ſe in ſcriptis huic ſancto doctori ſuppoſitis deſiderari diligentiam, quam in genuinis, pleraſque codicum varietates notando, adhibuerunt. Omnium exſpectationi plus quàm ſatis ſe facturos arbitrati ſunt, ſi illa ad antiquos codices recognoſcerent, & ex variantibus lectionibus eas præferrent, quas potiores ac veriores judicaſſent; nec opus eſſe ut de ſingulis illis mutationibus aut varietatibus per totidem notulas admonerent. Parcendum duxerunt eruditorum

non ſolùm tempori, ſed & crumenæ: atque ideo prolixas in non neceſſariis locis vitarunt annotationes, ne in immenſum creſcens opus cariùs væniret. Nominatimque ſupervacaneum fuit, rem quæ non paucis explicanda erat, Hincmari ſcripto jam ſatis notam ac pervulgatam, enarrare.

Nimius forſitan in hunc locum fuiſſe videar, quem ad Germonii ſcopum aut parum aut nihil facere, omnibus compertum eſt. Nam & ſi quis illum libro contra quinque hoſtium genera inſertum adhuc ſuſpicaretur, non ideo tamen concedet, conſultò & per fraudem inſertum; cùm non rarum ſit gloſſemata quædam marginalia in textum à librariis ſine fraude transferri.

Volo etiam aliquem reperiri ita liberalem, ut hanc codicum varietatem ex quadam depravatione ortum habere largiatur. An unicus ille locus, qui Auguſtini certò non eſt, idoneus erit, qui *inter veteres manuſcriptos Auguſtini codices, aliquos reperiri qui olim à falſatoribus corrupti fuerunt*, quod Germonius in titulo capitis tertii probandum ſibi propoſuerat, confirmet?

Reclamat ille, timidiùs tamen, librum illum eſſe Auguſtini, oppo-

nitque Bedæ, Hincmari, aliorumque ſequioris ætatis, qui librum contra quinque hoſtium genera, ut ſincerum Auguſtini fetum receperunt.

Quamvis Bedæ veterumque codicum auctoritati plurimum deferendum ſit, præponderantibus tamen rationibus eſt cedendum. Probatum eſt autem nullam hujus libri in ſinceris Poſſidiani Indiculi exemplaribus, nullam in Auguſtini Retractationibus fieri mentionem; ſed & ea in eo ediſſeri, quæ in tempus Vandalicæ perſecutionis poſt Auguſtini mortem excitatæ conveniant; ac præterea nonnulla identidem occurrere dicta non ſatis accurata, minúſque, quàm Auguſtini eſſe ſolent, ſeria: demum nec novum nec inauditum eſſe, ut Hincmarus Auguſtino, Athanaſio aliiſque opera, quæ certè eorum non ſunt, attribuant; Bedam ipſum Auguſtino adſcripſiſſe ſubdititiam cum Paſcentio collationem. Neque verò Petrus Chiffletius librum contra Felicianum, quamvis Auguſtino à Beda & Hincmaro adſcriptum, Vigilio Tapſenſi reſtituere dubitavit. Majoris momenti æſtimat Germonius quæ ultimo capiti reſervavit, juſtone judicio, jam ponderemus.

CAPUT XXII.

Quàm vanis rationibus, operum Auguſtini codices Corbeienſes plurimos eſſe debuiſſe ſuſpectos, *Germonius contendat*.

MIRARI ſubit hominem ingenio præditum, quem religionis & æquitatis tam ſeveræ de judiciis leges latere non debent, de re tanti momenti, tam levibus ratiunculis, tam aſſeveranter judicium ferre potuiſſe. De fide agitur religioſi & eruditi viri, immo & abbatum & monachorum, qui in celeberrimo Corbeiæ monaſterio per id tempus vitam egerunt, quo pietas in eo æquè ac litteræ ſingulariter florebant : per id, inquam, tempus, quo venerabilis ille locus à concilio Pariſienſi anni 846. dicebatur ſacræ religionis normam, quam primo tempore ſuſcepit, inviolatam retinuiſſe; *in tantum ut eos qui ſe fundaverunt, non modò æquaverit religione, ſed etiam pene ſuperaverit* : quo denique in ſinu ſuo fovebat S. Anſcharium nationum Septemtrionalium regionum

apoſtolum, Hildemannum & Odonem Bellovacenſis eccleſiæ poſtmodum epiſcopos, alioſque præſtantes viros. Agitur de fruſtranda Eccleſia uberrimis illis fructibus, quos ex inſigni bibliotheca & perantiquis libris ab injuriis temporum in ea aſſervatis hactenus percepit, atque in poſterum percipere valet. Quibus, quæſo, momentis Germonius hæc incommoda, quæ Corbeienſes codices ſuſpectos faciendo conſequuntur, invehere non timet? Nimirum, ut ea ſummatim perſtringam, Hincmarus unum à Gotheſcalco locum, ex mera conjectura quæ falſa convincitur, adulteratum ſuſpicatus eſt. Idem Hincmarus Gotheſcalci amicos & fautores, quòd veterum teſtimonia truncare & ad ſenſus ſuos inflectere ſolerent, accuſavit. Inter amicos autem Gotheſcalci præcipuus fuit Ratramnus Corbeienſis monachus, qui nominatim ab eodem Hincmaro (is enim Diſceptatori noſtro unus eſt inſtar omnium teſtium) de eadem re inſimulatus eſt. Corbeienſes verò codices circa Ratramni tempora notantur exarati. Ergo & illi debent eſſe ſuſpecti. Nonne hæc concluſio valde neceſſaria conſecutione conficitur? Sed quæ breviter

perſtrinxi, paulò enucleatiùs diſcutiamus: maximè cùm Germonius, quò ſpectent ſua ipſius conſilia, in hoc capite explicet.

Ille ut ſuſpectam faciat Ratramni fidem, unico utitur adversùs eum teſtimonio Hincmari, hoc eſt adverſarii omnibus noti ac manifeſti: qui idcirco tam in civilibus, quàm in eccleſiaſticis judiciis à dicendo teſtimonio ſubmoveretur, aut certè niſi maxima cum cautione non eſſet audiendus.

Ex Hincmaro autem duo triave refert facta, quorum primum ac poſtremum ad Ratramnum nihil attinent, alterum verò fidem ejus erga ſcriptos codices illæſam & illibatam relinquit, nullum ad rem facit. De ſingulis etſi jam copioſè egimus, is tamen poſtulare videtur locus, ut quæ pluribus explanata ſunt, paucis in memoriam revocentur.

Primum quidem illud factum, de quo ſupra fusè ediſſeruimus, unum Gotheſcalcum attingit. Is è concilio generali ſexto locum perſpicuum protulerat, quo Hincmari ſententia de non dicenda trina deitate diſertè refellebatur. Quo loco præſul ille perturbatus, neque qua ratione ſe

extricaret inveniens ad perfugium aliàs ipſi conſuetum ſe recipit. Locum videlicet falſatum, ex conjectura tamen quam verbis *ut credimus* ſignificat, ac non ſine formidine reclamat, ejuſque criminis ſuſpicionem Gotheſcalco injicit. Quamvis autem nulla ratione probabilis ſit, immo ab omni ratione abhorreat hæc ſuſpicio; Germonius tamen hoc uno teſtimonio nixus, non ſolum Gotheſcalcum ut inſignis & conſuetæ in adulterandis libris perfidiæ convictum habet, ſed & ejus amicos, nominatimque Ratramnum, tam infandi criminis complices ac reos ſimul haberi vult. Quis credat ſtudium partium tantas oculis non cæcis involvere tenebras, ut veritatis lucem cum omni ſplendore ſuo affulgentem videre non ſinat? Permiſit enim Deus, quò Gotheſcalci fides & innocentia omnibus manifeſtæ fierent, ut monimentum ab eo laudatum græcè latinéque ad nos perveniret. Ex quo quidem omnibus palam eſt, nihil à Gotheſcalco citatum, niſi quod in omnibus latinis concilii ſexti exemplaribus hactenus aſſervatum eſt, nihil quod non græcæ lectioni primigeniæ ſit omnino conſentaneum. Ita per ſe ruit fundamen-

tum , quo unico Germonius fultus, Gotheſcalcum & Ratramnum velut inſignes librorum *falſatores* infamavit : ex quo ad id procedere conatus eſt, ut & antiquos Corbeienſis bibliothecæ codices ſuſpectos faceret.

Alterum quidem profert Hincmari teſtimonium, quo ille præſul lectores

*Germon. p.*402. *to.* 1. *p.* 25.

» præmonendos putavit , Gotheſcalci » & complicium ejus fore conſuetudi- » nem , ut catholicorum teſtimonia » prælatis doctorum atque librorum » nominibus excerpta detruncent , & » ad ſuos ſenſus , ſicut & Scripturarum » ſententias inflectere curent. Atque ut Ratramnum inter complices illos annumerandum Diſceptator doceat;

Germon. pag. 403.

» addit, & Ratramno Corbeiæ mona- » ſterii monacho nominatim ab Hinc- » maro *exprobratum* quòd beatorum Hi- » larii & Auguſtini dicta detruncaverit, » & ad pravum ſenſum ſuum incon- » gruè inflexerit.

Mitto quòd Hincmarus non Ratramno nominatim exprobrando,ſed

Hincmar. to. 1. *pag.* 413.

» ſimpliciter narrando dixerit: Ratram- » nus Corbeiæ monaſterii monachus ex » libris beatorum Hilarii & Auguſtini, » dicta eorumdem detruncando & ad » pravum ſuum ſenſum incongruè in- » flectendo . . . volumen compilavit.

Sed

Sed non ſine obſervatione prætereundum, in nullo hîc Ratramni aliorumve Gotheſcalci amicorum fidem, qua veteres libros falſaſſe ſeu adulteraſſe arguantur, accuſari : quod Germonio probandum.

Tantùm inſimulatur generaliter Ratramnus, ut de aliis ſileam, quòd dicta Hilarii & Auguſtini detruncarit & ad pravum ſuum ſenſum inflexerit, ne uno quidem prolato exemplo, quo accuſationi fides fiat : cùm tamen proferendis hujuſmodi exemplis prolixiſſimus de non trina deitate liber, uti jam obſervatum, opportuniſſimum locum ac frequentes occaſiones ſuppeditaret.

Vaga autem & generali hac infenſi adverſarii accuſatione, ac cenſurâ libri, quem adversùs ſe ſcriptum iniquo animo ferebat, quis vel minimùm moveatur? quis propterea Ratramno aut ejus ſcripto fidem & auctoritatem imminuendam putet; maximè ubi perſpectum habuerit, Ratramnum adversùs falſam Hincmari opinionem pro veritate calamum ſtrinxiſſe? Quocirca cùm ille rectus & verus ſit ſenſus, quem Hincmarus vocitabat *pravum*, & contrà ille pravus ac falſus, quem idem præſul opinabatur

O

rectum; ſequitur ut cùm Ratramnus Hilarii & Auguſtini dicta *in pravum ſuum ſenſum* inflexiſſe arguitur, ea recto ac vero ſenſu interpretatus eſſe intelligatur.

De accuſatione autem truncationis dictorum Hilarii & Auguſtini nihil amplius dicam, quàm quod ſuo loco obſervavi, truncationem ab Hincmaro appellari, quam quivis alius dictorum ſupervacaneorum & non neceſſariorum diceret amputationem. Nimirum Hincmarus, ut ex libro de non trina deitate liquet, neceſſarium putabat ut ea etiam prædictorum patrum dicta excerperentur, quæ divinæ naturæ unitatem aſſererent aut explicarent: Ratramnus verò, quia nulla ſibi cum Hincmaro ea de re erat pugna, id ſupervacaneum ratus, illa prætermiſit. Hinc occaſio Hincmaro data, eum quòd dicta Hilarii & Auguſtini truncaſſet inſimulandi, unde juſtas eidem laudes ſe debere arbitrabuntur alii, quòd à ſuperfluis ſe continere prudens ſcierit.

Suprà p. 126. &c.

P. 123.

Obſervaveram ſuperiùs hæc Gemonii verba, *Identidem Hincmarus Gothеſcalco, Ratramno ... audaciſſimam in falſandis vel detruncandis priſcis auctoribus perfidiam objectat*, eâ arte eſſe compoſita,

ut hinc vel eruditi viri in errorem inducantur, arbitrenturque Ratramnum perfidiæ non in detruncandis ſolùm, ſed & in falſandis priſcis auctoribus ab Hincmaro identidem inſimulatum eſſe. Addere debueram, tantam eſſe artem, ut Germonius opus ſuum, quo rerum Indicem texeret, relegens, ipſe inde deceptus ſit. Errori enim tribuere malim, quod in mox dicto Indice ad verbum *Hincmarus* præter veritatem offendo: *Hincmarus Gotheſcalco & Ratramno audaciſſimam in falſandis libris perfidiam objectat.* Sic ille ſenſim aufert *vel detruncandis*, quo minùs invidioſa fiebat ſuperior illius ſententia; ac pro *priſcis auctoribus*, quod ambiguum erat, ſubſtituit *libris*; eoque pacto ad præconceptum conſilium invito ac reluctante Hincmari teſtimonio velut ejus auctoritate lectorem reducit.

Immo non in Indice tantùm, ſed & in ipſo contextu capitis quod excutimus, jam ſine fuco vel arte dicit, *P.*402. Ratramnum eruditum quidem monachum, ſed nimio partium ſtudio abreptum in præceps, *nec in exſcribendis aut citandis priſcis auctoribus fama ſatis integræ.* Apud quem, quæſo, Ratramnus in exſcribendis priſcis auctoribus

famæ non ſatis integræ fuit? Unde illa fama ad Diſceptatorem pervenit? Quo auctore, quo teſtimonio, quo etiam indicio tam firmiter ab ipſo credita, tamque fidenter ac ſine ſcrupulo divulgata eſt? Hincmarum videlicet cum præconcepto conſilio legit, verba hujus præſulis ad ſententiam ſuam cum quadam tamen ambiguitate ac certis involucris detorſit, tandemque quod præceperat animo velut certum ac probatum apertè aſſeruit. Adeo incautis illudit præjudicata opinio. Ab ejus tyrannide qui ſibi cavere cupit, numquam non tenere debet egregiam hanc Hilarii regulam: Optimus enim lector eſt, qui » dictorum intelligentiam exſpectet ex » dictis potiùs quàm imponat, & re- » tulerit magis quàm attulerit, neque » cogat id videri dictis contineri, quod » ante lectionem præſumſerit intelli- » gendum.

Lib. 1. de Trin. n.18.

Adeo autem falſum eſt, Ratramnum in exſcribendis aut citandis priſcis auctoribus famæ non ſatis integræ fuiſſe, ut Carolus Calvus rex, cùm nuper mota eſſet de prædeſtinatione quæſtio, eum unum delegerit, qui, ut ipſius Ratramni verbis utar, *collecta ex ſanctorum libris capitula* ſibi dirige-

ret, quibus qualiter de ea ſentirent, manifeſtiùs ſibi clareret. *Ego autem*, inquit ille præceptum ſibi opus ad ipſum regem mittens, *cupiens parere magnitudinis veſtræ imperio, collig*[illegible]*qui ex catholicorum doctorum ſententi*[illegible]

Quæ cùm ita ſint, Diſc[illegible]ator omnes exſerat ingenii ſui vires, Ratramni nomen nunc obliquè ſub amicorum aut aſſeclarum Gotheſcalci nomine impetat, nunc directè infamet; afferat, repetat, ac ſæpe ſæpius inculcet, eum in citandis aut exſcribendis priſcis auctoribus famæ non ſatis integræ fuiſſe: vanis illis atque omni ratione deſtitutis clamoribus numquam mihi, numquam ulli ratione ſua utenti perſuadebit, religionis ac ſcientiæ ſtudioſum principem, cùm quid de âbſtruſa quæſtione ſentirent catholici doctores, ſcire cuperet, nec ſibi deeſſent plurimi eruditione conſpicui præſules, hoc per virum in exſcribendis & citandis priſcis auctoribus famæ non ſatis integræ diſcere voluiſſe.

Integra igitur erat Ratramni Corbeienſis monachi fama. Ut eruditione, ita & bonæ fidei laude apud regem & apud omnes pollebat. Ex quo uno omnis à Germonio in Cor-

beienſem bibliothecam injuſtè injecta ſuſpicio cadat neceſſe eſt. Neque pluribus opus eſt, niſi ut argutiarum, quibus Diſceptator niſus eſt, inanitas magis ac magis demonſtretur.

Tertium factum ex libro contra quinque hoſtium genera petitum quid ad rem Germonii faciat, aut quomodo illud adversùs Corbeienſem bibliothecam convertere & contorquere valeat, prorſus me fugit. P. 404. Contendit *manuſcriptos operum Auguſtini codices Corbeienſes plurimos eſſe debuiſſe ſuſpectos*. Atque ut rem velut jam confectam probet, jactitat à ſe *ſuperiùs oſtenſum, Gotheſcalci patronos ab Hincmaro coram rege & ſynodo Sueſſionenſi convictos fuiſſe intruſæ per fraudem in librum Auguſtini adversùs quinque hæreſes ſententiæ*. Sed & ſi tam vera eſſet, quàm vana eſt hæc gloriatio, quid inde adversùs Corbeienſium codicum fidem?

Veriùs autem à me ſuprà demonſtratum eſt, primò nihil eſſe unde ulla ſententia in librum contra quinque hæreſes per fraudem inſerta adſtruatur; 2°. id quidem contendiſſe Hincmarum, & coram ſynodo Sueſſionenſi velut rem jam certam & compertam declaraſſe, ſed hac falſa opinione præoccupatum ac ſeduc-

tum, quòd *trina veritas* tres veritates ſonaret; ex quo irritum ac nullum fieri ejus judicium: 3°. nullos Gotheſcalci patronos judicio huic præſentes adfuiſſe, adeoque nullum eorum fraudis hujus (ſi tamen ulla fuit) accuſatum eſſe. 4°. Gotheſcalcum & Ratramnum nominatim ab ea eſſe immunes, utpote quibus ignotus erat celebris ille prædicti libri locus, quem ſanè ſi notum habuiſſent, in ſcriptis ſuis pro trina deitate dicenda non prætermiſſent. 5°. vel ex ſola Hincmari narratione, qua quo pacto ad notitiam libri adversùs quinque hæreſes ſe perveniſſe exponit, manifeſtum eſſe, vel ante quàm Gotheſcalcus & Ratramnus de hac adversùs ipſum controverſia movenda cogitarent, adeoque ante quàm ulli eſſent eorum ſententiæ fautores, quoſdam exſtitiſſe prædicti libri codices, qui memoratam ſententiam jam haberent: ex ipſo denique Hincmaro eſſe certum, exemplar in quo prædicta ſententia habebatur, neque à Gotheſcalco, neque à Ratramno vel ullo eorum fautore aut regi porrectum, aut Hincmaro objectum fuiſſe. Nec quiſquam illud ex bibliotheca Corbeienſi deportatum niſi falsò aut per quam temere

dixerit. Quid igitur hoc qualecumque factum ad hanc bibliothecam attinet?

Sed & ut præſtantiſſimis bibliothecæ hujus exemplaribus auctoritatem detrahat Diſceptator, quàm multa pro certo ponere cogitur, quæ veritati, æquitati, probabilitati repugnent? quod ſingillatim paucis ediſſerendum.

CAPUT XXIII.

Quàm multa quæ veritati atque omni probabilitati repugnent, pro certo ponere cogatur Germonius, ut bibliothecam Corbeienſem ſuſpectam faciat. Gotheſcalci aſſeclas adulterati Sermonis Flori temere arguit.

EXPERIENTIA comparari poteſt, ut quo fere ſæculo exarati ſint antiqui codices, vel charactere inſpecto dignoſcatur, quamvis quo præcisè anno picti ſint, nullus hoc uno indicio deſignare valeat. Hac experientia edocti noviſſimi operum Auguſtini editores, ita Corbeienſium codicum ætatem deſignarunt, ut pro characterum differentia alios circiter

mille annos præ ſe ferre, alios annos nongentos ſuperare, plurimos ante annos 800. ſcriptos eſſe annotarint. Germonius autem propria auctoritate, nullis horum codicum inſpectis, varias illas epochas & ætates ita reducit, ut intra ſpatium quo Ratramnus in Corbeienſi monaſterio egit, concludat. Quo poſito, & illud ponat neceſſe eſt, hos omnes libros, cùm vix perpaucis deſcribendis hominis vita ſufficeret, à Ratramno exſcriptos, aut certè ſub oculis ejus exaratos eſſe, illum præfuiſſe amanuenſibus, atque in id ſummo ſtudio incubuiſſe, ut nihil prius exſcriberetur, quàm inſeruiſſet quæ vel propriis vel amicorum ſententiis faverent, aut quæ iiſdem adverſarentur vel mutaſſet vel amputaſſet. Quis ſedato animo tantum crimen religioſo & erudito viro imponi patiatur? Quis hujuſmodi figmenta inanium viſionum loco non meritò ducat? Quis ſibi perſuadeat, Ratramnum aut ita impudentem & conſcientiæ adeo perditæ fuiſſe, ut Doctorum Eccleſiæ præcipui opera depravare non vereretur; aut ita imprudentem, ut ab aliqua ſententia tutò ſe ſtare putaret, quia eam in peculiaribus monaſterii

ſui codicibus inſeruiſſet; aut demum ita ſtolidum & inſipientem, ut pravam hanc artem non proſpexiſſet ſibi inutilem fore adversùs Hincmarum, hominem naturâ ſuſpicioſum, qui penes ſe amplam habebat atque copioſam bibliothecam, quique is non erat, qui in iis quæ ſibi contraria erant, adverſariorum libris fideret.

P.404. Præterea ſi Germonius eos codices, qui Ratramni ætate in Corbeienſi monaſterio exarati ſunt, ad nos perveniſſe conſentit; cur & cum iis tranſmiſſos eſſe nolit, qui jam tum illic aſſervabantur, & ex quibus Ratramnus regis mandato obtemperans, patrum collegit ſententias, unde ſuos de Prædeſtinatione libros concinnavit?

Aliud Diſceptator ex illa facilitate, qua Hincmarus in locis ſibi incommodis falſatum librum conclamare ſolet, argumentum elicere ſe poſſe putat ſcopo ſuo peropportunum, Pag. 404. » quod ſic exponit: Sanè Hincmarus » adversùs Gotheſcalcum & Ratram» num ſcribens, nec tam ſæpe nec tam » vehementer in falſatores inveheretur, » niſi adverſariis ſuis familiare fuiſſet » hoc vitium. Sed ſi rem ſeriò expendiſſet, hinc potiùs confirmari agnoviſſet quod dicebam, ſuſpicioſum na-

turâ, atque ita affectum fuiſſe hunc præſulem, ut alios faciliùs atque propenſiùs ſuſpicaretur fallaces, quàm ſe falſum aut deceptum eſſe fateretur. Sanè ſi Gotheſcalco & Ratramno familiare fuiſſet perfidiæ vitium, quid opus ei erat, quo ſuſpicioſæ indolis ſuæ invidiam declinaret, aliunde neſcio qua Donati, Arianorum, Neſtorii, Macarii, ac Felicis Urgellitani, eaque falſa, ut ſuperiùs eſt oſtenſum, conquirere & in unum congerere nequitiæ hujus exempla. Longè facilius & expeditius, necnon conſilio ſuo peropportunius erat ea in medio ponere, quæ in Gotheſcalci aut Ratramni ſcriptis deprehendiſſet. At, ut oſtendi, Gotheſcalcum tantùm ſemel ex conjectura, eaque manifeſtè falſa, Ratramnum nuſquam adulterati ullius codicis ſuſpicatus eſt.

Hac generali reſponſione iis abundè ſatisfactum puto, quæ Diſceptator ex præfatione Hincmari in librum de Prædeſtinatione objectat. Quamobrem hunc locum negligendum ac prætereundum duxeram. Sed ne alia de cauſa neglectum arbitretur, ac ne conqueratur intactum ullum quod ſibi alicujus momenti videatur argumentum, & hoc etiam

attingere poſtmodum placuit. In quo quidem ſive expoſitionem facti aut ejuſdem interpretationem, ſive obſervationes ac cenſuram Diſceptatoris ſpectemus, nihil accuratum, nihil in quo non aliquid peccetur, occurret.

Pag. 405. » Illud etiam, inquit, obſervandum eſt, nono ſæculo aſſeclarum » Gotheſcalci in falſandis auctoribus » audaciam eò deveniſſe, ut etiam vivens libris ſuis timeret Hincmarus: » *ne nacta occaſione*, ita ipſe loquitur, *aliquis* » *recta hinc eraderet, & fortè prava ſuperinduceret.* Miror Diſceptatoris perſpicaciam, & meam fateor ſtoliditatem, qua quæ ille in verbis Hincmari tam certò deprehendit, penitus me fugiunt. An verò ea me ſolum fugiant, ut quiſque probet, illius obſervationi ipſa, in quæ cadit, Hincmari verba ſubtexo.

Ab his ille præſul prædictam præ» fationem orditur. Omnes in quorum » manus hoc laboris noſtri opuſculum » venerit, ſupplici devotione per cari» tatis viſcera poſtulamus, ut quoniam » de ipſis ſchedulis notariorum ante » emendationem, inſtante domino no» ſtro Karolo rege, ſub celeritate illud » tranſſcribi fecimus, & idcirco in lo-

cis plurimis eradi & emendari quæ- «
dam neceſſitas compulit, ſi nacta «
occaſione aliquis æmulus recta hinc «
eraſerit & fortè prava ſuperinduxe- «
rit, aut ſcriptorum imperitia ſecus «
tranſſcripſerit, aliorum nobis erro- «
rem non imputent. In quibus quis «
perſpiciat, aſſeclarum Gotheſcalci in falſandis auctoribus audaciam eò deveniſſe, ut ab eis etiam Hincmarus libris ſuis ſe timere ſignificet? Ubi ullum de Gotheſcalci aſſeclis verbum? Non certè antea, ſi quidem ab allatis verbis incipit præfatio; non inter ipſa, ut oculi ipſi teſtes ſunt; neque eſt quidquam poſtea, quod hæc ad ipſos referri cogat. Eritne qui in his, *aliquis æmulus*, Gotheſcalci aſſeclas deſignari exiſtimet? Quaſi verò Hincmarus in eo loco & indole qua erat, hos unos æmulos pateretur. Hoc ille ſibi perſuadeat, qui res ejus cum Hincmaro Laudunenſi epiſcopo, Rotado Sueſſionenſi, Nicolao I. papa &c. neſcierit.

Verùm hîc meritò quis cùm Germonio expoſtulet, quòd ſuprà tum verbis *ita ipſe loquitur*, tum Italicis characteribus, proprias Hincmari voces ſe referre cùm ſignificet, vocabulum tamen *æmulus* ſupprimat, &

ſolum pronomen vagum *aliquis* exprimere contentus ſit: an ut eo aſſeclarum Gotheſcalci aliquis commodiùs ſubintelligatur?

Alia eſt ipſius eo gravioris momenti reticentia, quod veram formidinis Hincmari aut certè præcipuam cauſam per eam celat. Precis enim, quam hic præſul in fronte operis ſui tanto ſtudio emittit, hæc maxima fuit ratio: *quoniam de ipſis ſchedulis notariorum ante emendationem inſtante Karolo rege ſub celeritate illud tranſſcribi fecerat; & idcirco in locis plurimis eradi & emendari quædam neceſſitas compulit.* Quocirca jure veritus eſt, ne quid propter frequentes illas emendationes ac lituras *ſcriptorum imperitia ſecus tranſſcriberet*, & alienus error ſibi imputaretur. Uſu quippe didicerat ſæpe contingere, ut ex deformibus illis exemplaribus, quæ celeriter ſcripta, identidem eraſa, & verbis ſuperpoſitis aut ad marginem annotatis emendata ſint, exempla exire ſoleant deformiora: nullâ malâ fide, ſed ſolâ imperitiâ librariorum; dum nimirum quædam ſecus legunt, alia ſuperducta omittunt faciliùs, aut in marginem rejecta in locum non ſuum transferunt.

Interim advertant, qui quoties co-

dicem aliquem eraſum aut emendatum conſpiciunt, falſatum clamant, hoc ſe temere facere; interdum enim hujuſmodi emendationes ab ipſiſmet auctoribus aut à notariis prodiiſſe; neque me ſuprà pag. 90. gratìs dixiſſe, etiamſi duæ ultimæ verbi *adoptatur* ſyllabæ in loco eraſo appareant, nullum tamen inde haberi falſati codicis argumentum. Neque opus eſt hîc repetere quod ſuprà pag. 11. annotavi, ſæpe etiam ad codicum antiquiorum recognitionem emendationes illas fuiſſe exactas. Sed non ſilendum quod Juſtus Fontaninus in Rom. archigymnaſio publicus eloquentiæ profeſſor in Vindiciis antiq. diplom. c. 3. n. 7. eruditè obſervavit, & exquiſitis exemplis approbavit, viros dignitate clariſſimos olim emendandis libris operam dediſſe.

At licèt libros cum variis emendationibus & lituris videre non ſit inſuetum, hinc tamen Hincmaro juſta metuendi cauſa fuit, ne opus ipſius per ſcriptorum imperitiam ſubinde corrumperetur, ac non ſine cautione aliqua illud ita deformatum in publicum emittendi. Id verò reticere ac diſſimulare, animi non ſatis ſinceri fuit.

Addit quidem Hincmarus, ſed velut quadam acceſſione, ſe id etiam præcaviſſe, ut ſi data occaſione *aliquis æmulus recta hinc eraſerit, aut fortè prava ſuperinduxerit*, hoc ſibi non imputetur: neque fruſtra id ſe cavere, *quoniam*, inquit, *& olim Neſtorium Conſtantinopolitanum, & Macarium Antiochenum epiſcopum* (quibus in libro de non trina deitate, velut jam doctior hac in diſquiſitione factus, adjungit Donatum, Arianos, Theodorum) *de ſcripturis authenticis, ac ſanctorum dictis quædam interraſiſſe atque corrupiſſe prodentibus geſtis comperimus.* Tum interpoſitâ de libro Hilarii à Felice corrupto hiſtoriâ ſubdit: *Sed &, ſicut mox lector inveniet, Sermonem Flori de Prædeſtinatione nuperiùs editum non incerto indicio credimus depravatum.* Verùm in tota illa narratione quodnam reperit Germonius verbum, in quo Hincmarus ſummam *aſſeclarum Gotheſcalci in falſandis auctoribus audaciam* fuiſſe confirmet?

In hunc locum obſervare debuerat, 1°. eos omnes, quos Hincmarus detegere potuerit de Scripturis aut dictis patrum corruptis aliquando inſimulatos, eſſe hæreticos; 2°. eoſdem numero paucos eſſe; 3°. de nullo conſtare quòd libros falſaverint, ut ſuprà

cap.

cap. 10. de Felice, ac de ceteris cap. 6. eſt probatum. 4°. nullum ex Gotheſcalci aſſeclis aut amicis exſtitiſſe, quem Hincmarus hujus criminis reum ſciret: ſic enim argumentari licet. Hincmarus omnia ſæcula rimatur, ut qui ſcriptorum falſandorum vitio obnoxii fuerint detegat; & quos ſe deprehendiſſe arbitratur, nominatim appellat, è quinto ſæculo Neſtorium, è ſeptimo Macarium, ex octavo Felicem. At verò nec ullum Gotheſcalci amicum nominatim, neque generatim ejus aſſeclas hujus criminis reos dicit. Huic igitur eos obnoxios fuiſſe non noverat. Si autem eis veterum libros depravare in more exſtitiſſet, illum non latuiſſet: ſi non latuiſſet, neque id profectò ille tacuiſſet.

Obſervandum quartò fuerat, Hincmarum in iis, quibus Scripturarum & patrum adulteratores olim fuiſſe contendit, nec cum geſtis, nec ſecum ſatis conſentire. Quippe in libro de non trina deitate pag. 465. de Neſtorio ſcribit: *Neſcire ſe prodidit hanc authenticis exemplaribus indita : fuiſſe ſententiam*, ſcil. *Omnis ſpiritus* &c. Quo in loco cum Socrate, quem ſequitur, eum concinere ſuprà pag. 145. & 146.

oſtendi. At in præfatione libri de Prædeſtinatione, jam nec ſecum nec cum Socrate auctore ſuo concordans, Neſtorium eamdem ſententiam non *neſciiſſe*, ſed *interraſiſſe & corrupiſſe* ſignificat. Neque produnt geſta, Macarium Antiochenum quædam patrum dicta in authenticis exemplaribus *interraſiſſe aut depravaſſe*, quemadmodum in mox dicta præfatione innuit; ſed, quomodo libro de non trina deitate pag. 465. accuratiùs ſcribit, ac ſuprà pag. 59. & 60. expoſui, tantùm truncata patrum teſtimonia ſuis in libellis obtuliſſe. Ita & Hilariani loci à Felice corrupti hiſtoriam in utroque illo opere aliter atque aliter legi, & in uno quidem Felicem dici unum Aquenſis palatii codicem, in altero autem *quoſcumque arripere potuit* adulteraſſe, jam patefeci.

Immo ut ab exemplo propoſito non recedamus, duo ſibi eſſe Sermonis Flori exemplaria, unum ab Heriboldo Antiſſiodorenſi epiſcopo, alterum è ſcrinio Ebonis Gratianopolitani acceptum, eaque duobus in locis ſeu capitulis diſcrepare narrat: ac licèt in præfatione teſtetur in Ebonis exemplari legi, *Sed quos præſcivit & prævidit malos atque impios futuros*, in codice autem

ſeu, ut loquitur, rotula Heriboldi, *Sed quia eos praſcivit & pravidit malos atque impios futuros:* tamen in ejuſdem libri capite 7. & in Heriboldi & in Ebonis exemplari pariter exſtare ſcribit, *Sed quos praſcivit & pravidit malos atque impios futuros.* Adeo ille parum ſibi conſtat, adeo in ſcribendo parum eſt accuratus. A ſcriptore hujuſmodi, maximè in iis quæ ad propriam illius cauſam attinent, nihil ſine debita cautione recipiendum eſſe nemo non conſentiat, *Pag. 28.*

Quare ubi Sermonem Flori, prout in Ebonis exemplari jacet, ſe in omnibus probare declarat *exceptis duobus locis*, in quibus aliquid, inquit, *immutatum ab aliquo ſuſpicamur*, ſeu, ut paulo antè loquebatur, *non incerto indicio credimus depravatum*; prudentis erat quodnam illud erat indicium, atque utrùm idoneum erat, quo ex Ebonis ſcrinio acceptum exemplar adulteratum judicaretur, indagare. At Diſceptatori ſatis eſt ab Hincmaro audiſſe, *Credimus depravatum, immutatum ſuſpicamur*, ut ſtatim decretorio modo, nullo examine prævio concludat: «Geminum ergo editi à Floro Sermonis de Prædeſtinatione exemplar habuit: aliud genuinum, nempe ab ipſo « *Pag. 407.*

» Floro tranſmiſſum Heriboldo Alti-
» ſiodorenſi epiſcopo, & ab Heriboldo
» datum ipſi Hincmaro: aliud adultera-
« tum, acceptum ex ſcrinio Ebonis,
» quem Gotheſcalci partibus faviſſe,
» & Hincmaro adverſatum fuiſſe nemo neſcit. In quo ſanè bis peccat, primùm quòd pro adulterationis ſuſpicione adulterationem certam ponat: deinde quòd vagam & incertam Hincmari ſuſpicionem in Gotheſcalci aſſeclas incunctanter deflectat.

Quæ genuina Flori ſententia fuerit, inveſtigare etſi non eſt meum, utrùm tamen ex prædictis exemplaribus aliquod re ipſa falſatum ſit, expendere ad inſtitutum opus propiùs attinet. Atque ut hoc exploratum habeatur, ponderandum illud *non incertum indicium*, quo ſe moveri teſtabatur Hincmarus, ut ex Ebonis ſcrinio acceptum codicem depravatum ſuſpicaretur. In hoc porrò totum erat, quòd duobus in locis aliter in Heriboldi rotula, quàm quod in illo legebat, ferebatur. In Ebonis nempe exemplo legebat, *Sed quos præſcivit & prævidit malos atque impios futuros proprio vitio, prædeſtinavit ad æternam damnationem juſto judicio*: in Heriboldi autem rotula pro poſterioribus hiſce verbis cernebat,

prædeſtinavit ad æternam damnationem qua ipſi punirentur juſto judicio : hoc eſt in uno exemplari erat, & in altero non erat, *qua ipſi punirentur.* Item ubi Ebonis exemplar exhibebat, *Non enim aliquem prædeſtinavit ut malus eſſet, ſed verè omnem malum prædeſtinavit ut impunitus non eſſet*, inveniebat in Heriboldi rotula, *ſed verè prædeſtinavit pœnam, ut omnis malus impunitus non eſſet.* Verùm hujuſmodi indicium quis non omnino incertum exiſtimet ? Nam ſi Ebonis exemplar ideò adulteratum eſt credendum, quia Heriboldi rotula ab eo diſcrepat ; pari jure quiſque contenderit Heriboldi rotulam depravatam, quia cum Ebonis exemplari non concordat.

Sed quid opus eſt alterutrum ex his duobus exemplaribus adulteratum ſuſpicari ? Utrumque in publicum vivo Floro prodiit, & ab eo ipſo Heriboldus ſe ſuum accepiſſe teſtificatus eſt, cùm pridem, uti probabile eſt, Florus eum Sermonem in lucem emiſiſſet. Quocirca nihil vetat, quominus Ebonis & Heriboldi exempla ſic recipiamus, tamquam duas ejuſdem operis editiones, quarum poſtrema ab ipſo auctore recognita ſit. Et quemadmodum ex eo, quòd poſte-

rior hujuſmodi editio à prima quibuſdam in locis diſcrepet, nemo eſt qui primam hanc adulteratam arguat, nemo qui non potiùs noviſſimam correctam judicet: ita & ex eo quòd Heriboldi rotula ab Ebonis exemplari duobus in locis differat, non ſequitur ut hoc falſatum fuerit; hoc enim diſcrimen ſecundis Flori curis rectè adſcribatur. Et is quidem ob recèns excitatas de prædeſtinatione quæſtiones facilè permotus fuerit, ut ſuam ea de re ſententiam, nova occaſione data, explicatiùs proferret.

P. 408. Vanum eſt igitur quod Germonius in hunc locum notat velut obſervatione dignum, Hincmarum videlicet exiſtimaſſe, *Prædeſtinatianorum hæreſi, ob quam Gotheſcalcus damnatus fuerat, non favere Florum genuinum, ſed detruncatum & adulteratum.* Nam Florum adulteratum aut detruncatum eſſe nec ipſe probat, nec Hincmari judicium vel potiùs ſuſpicio evincit. Deinde in hâc ſententia, quam Flori detruncati eſſe cenſet, *Quos præſcivit & prævidit malos atque impios futuros proprio vitio, prædeſtinavit ad æternam damnationem juſto judicio,* quis ullam deprehendat hæreſim? aut quis quidquam animadvertat, quod hæreſi faveat, niſi poſt *æternam damna-*

tionem, cum eo Flori exemplo, quod ſolum genuinum eſſe vult., addatur *quâ ipſi punirentur?* Hoc addidiſſe ſecundis curis, ut dixi, majoris explicationis ergo potuit Florus: ſed hac additione deſtitutum exemplar aut adulteratum aut hæreſis ſuſpectum cenſere ſe rectè poſſe quis arbitretur? Quis non potiùs hinc admoneatur, eum qui tam inconſideratè obſervanda proponit, nonniſi magna cum circumſpectione eſſe audiendum?

Non minùs frivolum aut ineptum eſt alterum, quod Diſceptator exinde proponit velut obſervatione dignum, nempe, *magnam tum fuiſſe Gotheſcalci & amicorum ejus impudentiam, qui non modò patres veteres ſcribendo detruncarent & vitiarent, ſed etiam libros nuper editos à viris quibuſcum vixerant.* Sanè qui hæc verba cum Hincmari dictis, quibus unis nituntur, comparaverit, magnopere ſe ſibi moderari arbitrabitur, ſi magnam in hujuſmodi obſervatione imprudentiam apparere dumtaxat dixerit. Quæ enim illa conſecutio: Hincmarus dicit, *Sermonem Flori de Prædeſtinatione nuperiùs editum non incerto indicio credimus depravatum*: ergo oportet *magnam tum fuiſſe Gotheſcalci & amicorum ejùs impudentiam, qui non modò patres veteres ſcribendo* P.401.

detruncarent & vitiarent, ſed etiam libros nuper editos à viris quibuſcum vixerant? Hincmari quippe ſuſpicio cùm nullum exprimat, cúmque eam in Gotheſcalcum aut amicos ejus cadere neque quæ præcedunt; neque quæ conſequuntur, indicent; quænam eſt illa de iis malè ſentiendi cauſa? Hinc & arguuntur tamen, & condemnantur à Diſceptatore, quaſi aliàs demonſtratum eſſet, id quod nuſquam eſt probatum, quòd *patres veteres ſcribendo detruncarent & vitiarent*; ac noviſſimè convicti eſſent, quòd *libros nuper editos à viris quibuſcum vixerant* ſumma cum impudentia vitiarent. Quæ eſt iſta prudentia, ex vaga ſuſpicione rei omnino incertæ, invidioſum de perſonis nec nominatis nec ulla ratione indicatis certumque facere judicium?

Vereor ne dum Diſceptatorem variis in diverticulis conſector, quò hæc omnia tendant, quiſve in his ſit illius ſcopus, jam diu è lectoris mente exciderit. Recordandum eſt igitur hoc illum velle, *Manuſcriptos operum Auguſtini codices Corbienſes plurimos eſſe debuiſſe ſuſpectos.* Rem totam conficiendam putavit, ſi ſummam aſſeclarum aut amicorum Gotheſcalci in falſandis priſcis auctoribus audaciam fuiſſe

diceret. Dixit ſæpius ; ſed quod dixit , nec ſemel probare ulla umquam ratione valuit. Id verò etiamſi probaſſet aliquando , quid inde adversùs Corbeienſem bibliothecam profeciſſet ? Nimirum ſperavit fore, ut inter Gotheſcalci amicos Ratramnum involveret ; atque infamato hujus cœnobitæ nomine , celebrem illam bibliothecam velut ejus contagione infectam faciliùs perſuaderet. At ſpes eum fefellit. Salva & integra circa libros hactenus manet amicorum Gotheſcalci exiſtimatio. Sin minùs integra maneret , ut ſuſpecti inde fierent Corbeienſes codices, non ſatis fuiſſet , quoſdam veterum libros à Gotheſcalci amicis corruptos oſtendiſſe : demonſtrandum prætereà erat 1°. hoc non ab uno aut altero eorum , ſed ab omnibus veluti conſpiratione facta tentatum, 2°. conſpirationis hujus conſcium fuiſſe Ratramnum atque participem, 3°. tantam hujus monachi in bibliothecam monaſterii ſui poteſtatem extitiſſe , ut in illius libros impunè graſſari ipſi licuerit. Neque hoc perficere Diſceptator potuit , niſi priùs conſultis illorum temporum monimentis , maximè quæ res Corbeienſis

monaſterii edocerent. Quod ſi præſtitiſſet, & ſe, ad meliora natum, à ſcriptione ut mihi quidem videtur noxia, & me, qui vitam obſcuram tranquillamque delegi, à contentioſo hoc labore liberaſſet.

Hinc didiciſſet primò, Ratramnum, ob varia negotia quibus diſtentus atque diſtractus eſt, in Corbeienſi monaſterio diu agere non permiſſum eſſe; ſecundò per illud tempus, quo illic egit, eidem monaſterio præfuiſſe Paſchaſium Radbertum, virum integrum ac ſanctum, & litterarum non minùs quàm pietatis ſtudioſum, qui libros exſcribendos homini eorum adulterandorum vel minimùm ſuſpecto numquam crediniſſet. Idque eo ampliùs habuiſſet perſuaſum, quòd Paſchaſium & Ratramnum mutuis opinionum diſſidiis laboraſſe non ignoraſſet.

Sed eum ut ad recondita ſcripta ne mittam, vel ad ſuum redeat Hincmarum, ac libri ipſius de Prædeſtinatione caput 2. percurrat rogo: & cùm ibi inter illos præſules, qui Gotheſcalcum in ſynodo apud Cariſiacum anno 849. habita condemnarunt, Paſchaſium Radbertum ſediſſe legerit, certior jam fiet, non eum

fuiſſe Radbertum, qui aut faveret Gotheſcalco, aut ſuis quidquam in ejus gratiam moliri, quantum in ſe erat, permitteret. Et verò de infelicis hujus monachi opinione quid ſentiret hic abbas nos ignorare noluit, cùm in Mathæum libro 8. ſcripſit: *Quapropter ſcire certò debemus, quotiens aliquis perit, non ex prædeſtinatione, ut quidam malè ſentiunt, neque ex voluntate Patris perit, ſed proprio ſuo peccàto, juſtoque Dei judicio.*

Etiamſi igitur Ratramnus æquè pravæ & perditæ mentis, atque eum Germonius fuiſſe vult, (quod horret mens de religioſo & erudito monacho cogitare) exſtitiſſet, his conſideratis fateri ille ultro deberet, ſub tam integro, tam vigilanti, tam litterarum ſtudiis dedito, tam denique à Gotheſcalci opinionibus alieno abbate, ab omni fraudis ſuſpicione immunem eſſe ipſius bibliothecam.

Sed & hoc jam fateatur & agnoſcat tandem, Ratramnum non eum fuiſſe quem ſibi finxerat, ſed ut eruditionis, ita & integritatis famâ conſpicuum exſtitiſſe: ac duplici illo nomine apud Chriſtianiſſimum principem, apud quem præcipua tum auctoritate & gratia pollebat Hincma-

rus, eam meruiſſe fiduciam, ut ille in difficillimis quæſtionibus, quæ de iis eſſent veterum ſententiæ, ab ipſo quærere & accipere ſe tutò poſſe non dubitaret. Diſcat, aut ſi jam didicit, recolat quanta ejuſdem monachi apud Gallicanos epiſcopos fuit exiſtimatio. Miſerat ad illos Nicolaus I. papa Græcorum adversùs latinam eccleſiam objecta: ſimulque præceperat, ut quid invidis eorum detractionibus opponi neceſſe eſſet, ſummo ſtudio rimarentur, & quidquid inveniſſent, quàm primùm ad ſe tranſmitterent. Illi autem ſummi pontificis votis obſequentes, tanti momenti negotium cùm Æneæ Pariſienſi epiſcopo, tum Ratramno noſtro, qui & in hoc opere palmam tulit, committendum communi conſenſu cenſuerunt. Tanta erat eruditionis & integritatis illius fama. Recenſeat & elogia, quibus eum Claudius Eſpencæus doctor Pariſienſis, Claudius de Saintes Ebroicenſis aliique eum exornant.

Epiſt. 70. *Spicil. to 2. præf.*

Exinde ut injectas prorſus abigat atque dimoveat ſuſpicionum nebulas; reſpicere ne gravetur & ad Paſchaſium dignum omni fide abbatem: nec ambigat, quin quemadmodum

ille bibliothecam ſibi à majoribus relictam ſummo in pretio habuiſſe, ac pro poſſe ſuo novis codicibus ditaſſe meritò creditur; ita & eamdem intemeratam poſteris tranſmittendam toto ſtudio curaverit.

Gratiam nos habere patiatur ſtudioſis illis viris, qui theſaurum tam pretioſum, ex quo non modica in Eccleſiam redundarunt lucra, ab injuriis temporum aſſervarunt. Uberes ejus fructus percipere aut cum aliis communicare nobis permittat. Nec indignè ferat, ſi Corbeienſes libros ſive ante Ratramnum, ſive poſt, ſive ipſius ætate exaratos, unà cum Remenſibus, qui per Hincmarum ad nos pervenerunt, aliiſque diverſarum regionum codicibus, conſulamus, conferamus, recenſeamus, & ex mutua eorum collatione locos reſarciamus vitioſos, emendemus depravatos, aut certè varietates alicujus momenti quæ in eis occurrerunt, maximè in ambiguis locis, annotemus.

Recogitet quò procedant dialecticæ illæ diſputationes, quibus qualiſcumque verborum ſplendor lucem, qua carent, ſufficere numquam valebit: atque hinc quàm illæ omni ratione deſtitutæ, inde quàm exitioſæ

ſint, conſideret. Quò enim evaſura eſſet tota religio, ſi ob leviſſimam aut etiam imaginariam ſuſpicionem, ſacrarum litterarum & ſcriptorum à ſanctis patribus relictorum exempla, immo & bibliothecas integras in dubium revocare, aut etiam rejicere unquam liceret?

Quibus probè perpenſis atque perſpectis, gratum eum habiturum confido, quòd nubeculas, quæ veritatis ipſi lumen eripiebant, diſcutere aggreſſus ſim. Memor quoque ſuperiùs allati exempli Auguſtini, qui quod de Donato præter veritatem malè opinatus erat, publicè retractare atque revocare, & vel nequiſſimo ſchiſmatis atque hæreſis duci congruè ſatisfacere non erubuit; nec illibenti animo accipiet, virorum illorum, quos turpiſſimo perfidiæ crimine imprudens infamaverat, innocentiam atque fidem planè & apertè patefactam eſſe; eaque ratione ſartum quodam modo eſſe, quod eorum exiſtimationi intulerat detrimentum. Niſi fortè moleſtè ferat, rem à me occupatam, atque eis ipſe per ſe ſatiſfactum maluiſſet.

APPENDIX

In qua loci quidam S. Hilarii ab Anonymo depravati aut obſcurati illuſtrantur & explicantur.

PRÆFATIO.

PRODIIT anno 1696. idiomate Gallico, anonymo etſi non ignoto auctore, tractatus quidam de Trinitate, Pariſiis primùm magiſtratuum vigilantia & auctoritate ſuppreſſus, ſed alibi deinde furtivis typis recuſus; in quo rarus eſt noſtræ ætatis ſcriptor vel liber, quem non Anonymus ille identidem maledico dente carpat & reprehendat. Ac licèt noviſſimæ Hilarii editioni laudes non neget, neque tamen ei prorſus parcit. Quid in illa ipſi diſplіceret, ſtatim atque liber ejus in manus venit, curioſitas animum ſubiit indagandi. Quod ubi factum eſt; quodnam etiam eſſet no-

vum illud in eo propoſitum ſyſtema, ut penitiùs diſpicerem, amicorum hortatu animum appuli. Occurrerunt multa, quæ eſſentiæ ſeu naturæ in tribus divinis perſonis unitatem catholicè aſſererent. Immo aliquando Anonymus ita artam prædicat hanc unitatem, ut ad Sabellianum dogma propiùs accedere videatur. At non ſibi conſtat. Toto enim opere ſuo in hoc unum intendiſſe diceres, ut divinam naturam in tribus perſonis ſpecie tantummodo unam, & numero diſtinctam eſſe, adeoque ſicut tres in Deo perſonas credimus, ita & tres naturas, tres ſubſtantiàs, tres voluntates credere ac profiteri licere defenderet. Hinc conſequitur, ut & tres dii ſint. Neque etiam id negavit, ſed eò devenit temeritatis, (impietatis dicerem, niſi hanc ſententiam auctor ipſe palam atque publicè retractaſ-
P. 223. ſet,) ut in his verbis *Tres ſunt dii*, nullam falſitatem, nullum internum virus eſſe contenderet.

Perverſum ſyſtema, quo proſcripta jam pridem Tritheitarum hæreſis revocabatur, exhorrui. Tum verò obſervationes in unum compoſui non paucas, non alio conſilio, quàm ut cuivis ad illud pleniùs refellendum

uſui

uſui eſſe poſſent, & quia multimodis patrum ſententiis ſeu teſtimoniis Anonymus fucum faciebat, in id maximè incubueram, ut iis ipſis locis, quibus ſententiam ſuam adſtruere videbatur, eam deſtrui perſuaderem. Creverat exinde non modicum opus, quo in primis Deum numero unum, ac naturam Dei non ſpecie ſolùm, ſed & numero eſſe unam, ſemper in Eccleſia creditum, ac ratione ipſa ſuadente credendum eſſe, invictis argumentis demonſtrabam. Ne tamen infauſtæ auctoris fortunæ inſultare viderer, tum etiam ob alia quæ hîc explicare nihil juvat, opus meum apud me continui, non inanem totius laboris mei fructum me percepiſſe ratus, ex quo inſtructior de altiſſimo Trinitatis myſterio, & in ejus fide conſtantior evaſiſſem.

At quoniam noviſſimam Hilarii editionem ab injuſta Germonii cenſura vindicavi, data videtur occaſio, ut eas quas & Anonymus eidem editioni inuſſerat non minùs iniquas notas abſtergerem, atque ut ea quæ jam ab anno 1696. fuſiùs hac de re ediſſerueram, quæque cum aliis, ut mox dicebam, tacitus apud me hactenus retinui, ſaltem paucis perſtringerem.

Hoc eo minùs omittendum, quòd & hinc locus habeatur Germonium perſuadendi, quàm temere faciat, qui aliquem falſi convictum exiſtimat, quòd alius ipſum falſi ſuſpicatus ſit aut etiam poſtularit. E quatuor quippe Hilarianæ editionis locis, in quos Anonymus cenſuram ſuam exercet, (ſi tamen cenſorem appellare placet, quem veriùs vocares depravatorem:) eorum primus *apud Benedictinos falſatus* fidenter abeo aſſeritur, quamvis ſumma fide ex omnibus ſive ſcriptis, ſive editis codicibus ſit expreſſus. A nobis quidem neglecta hactenus fuit hujuſmodi accuſatio: ſed non negligendam eſſe nova Germonii diſceptatio docet. Timendum enim eſt, ne futuri ſint ipſius ſimiles, apud quos patrum veterum depravatores ſeu falſatores audiamus, quia hoc nobis crimen ab Anonymo objectum ſit. Qua de re commodiùs capite proximo, in quo prædictorum quatuor locorum primus expendendus eſt, ediſſeremus, tres alios ſubinde tribus diſtinctis capitibus explicaturi. Ipſa etiam materiæ affinitas poſtulabat, ut hanc poſtremam hujus operis partem à priore non ſepararem; ac ſicut ſuperiùs deitatis explanavi trinitatem, &

trinam deitatem adverſùs falſam hujus locutionis interpretationem vindicavi ; ita nunc quædam adverſùs unitatem deitatis objecta diluerem.

CAPUT I.

Hilarii locum ab Anonymo, non à novis ejus editoribus, falſatum eſſe.

ANONYMUS poſtquam hunc Hilarii ex libro 6. de Trin. n. 11. locum ſic protulit : Scilicet ut Deus « ex Deo unum ſint in genere naturæ, « dum quod per nativitatis veritatem « ex Deo in Deum exſtitit, non aliun- « de quàm ex Deo eſſe ſubſtiterit. Quod « autem non aliunde quàm ex Deo ma- « nat, maneat neceſſe eſt in ea veri- « tate qua Deus eſt : ac per hoc unum « ſunt, cùm qui ex Deo eſt, Deus eſt ; « neque aliud ipſe eſt ; neque aliunde « quòd Deus eſt : ſtatim ſubjicit *, *Hic* « *locus falſatus eſt apud Benedictinos.* P.111. P.112.

Obiter obſervo, cùm hîc, tum alibi, eum iis abuti Hilarii verbis, quibus Chriſtum cum Patre *unum in genere naturæ* prædicat, quaſi Patris ac Filii naturam genere aut ſpecie ſolâ unam

* *Ce paſſage eſt falſifié chez les Benedictins.*

ſanctus doctor ſentiret. Aliud porro eſt Patrem & Filium ſpecie unum eſſe, aliud ſola ſpecie eſſe unum. Re ipſa Hilarius cùm Patrem & Filium naturæ genere ſeu ſpecie unum eſſe aſſerat, nuſquam eoſdem unum numero eſſe negat. Immo ea eſt Dei natura, ut in quo exſtat unitas ſpeciei, neceſſariò etiam unitas numeri exſiſtat. Cùm enim ſimplex & indiviſa ſit, ubicumque eſt, una & tota ſit neceſſe eſt. Et hanc quidem Hilarii conſtantem eſſe doctrinam in promtu eſſet approbare, ſed extra modum mihi præſcriptum excurrerem : ad ſcopum & inſtitutum revertor.

In quo apud Benedictinos falſatus ſit allatus Hilarii locùs, cùm Anonymus non declaret, inveſtigare cogor. Cum iis igitur quæ protulit, ea quæ Benedictini ediderunt contendens, hos ab illo in duobus diſcrepare deprehendo. Apud Benedictinos enim pro his, *quàm ex Deo manat*, reperio, *quàm ex Deo manet*; ac ſubinde iſtorum loco, *cùm qui ex Deo eſt, Deus eſt*, ſimpliciter habetur, *cùm qui ex Deo Deus eſt*, ſine primo *eſt*. Tum alias adeo editiones, nec ullam offendo, quæ cum Benedictina non conſentiat, nullam quæ ab Anonymi excerpto non diſſideat.

Teſtes etiam ſunt Benedictini, omnes ſcriptos codices cum editis hoc in loco eſſe conſentientes. Si quem viderat Anonymus, ex quo corrigendum hunc locum duxit, qua id præſtiterit auctoritate tacere non debuit, nec debuit tamquam adulteratores codicum traducere religioſos viros, qui ne apicem quidem mutarunt eorum, quæ in omnibus ſcriptis aut editis exemplaribus invenerunt. Sed neque aliam à Benedictina editionem, nedum manuſcriptos codices, conſuluit. Ipſe igitur, non Benedictini, locum Hilarii falſaſſe convincitur.

Illum dubio procul offendit verbum *manet* cum adjuncto *ex Deo*: ſed ab hac offenſione brevi fuiſſet ſanatus, ſi prædictæ editionis pag. 934. notam *l*, aut gloſſarum Indicem ad verbum *maneo* conſuluiſſet. Ex duobus illis locis, vel etiam ex alterutro, certior factus fuiſſet, quàm Hilariana ſit hæc locutio, *ex Deo manet*, & ab ea mutanda, ſeu ut cum ipſo loquar, falſanda caviſſet: laudaſſetque fidem Benedictinorum, qui ſimiles loquendi modos aliàs depravatos reſtituêre, eam certè numquam inſimulaſſet. Plura in operibus Hilarii

ſunt exempla, quibus planum atque perſpicuum eſt, quàm ei de Verbi æterni generatione loquenti familiare ſit verbum *manere*. Eo uti amabat tamquam aptiſſimo, quo ineffabilem hanc generationem & initii & diviſionis ſubſtantiæ expertem eſſe quiſque ſtatim intelligeret, Quocirca

Lib. 7. deTrin. n. 31. Lib. 8. n. 58. Lib. de Synod. n. 35.

eum modò audire eſt dicentem, *Deus ex Deo manens non eſt aliunde*; modò, *Chriſtus non de non ſubſtantibus* MANET; illic, *Nam condemnans eos qui de non exſtantibus eſſe Filium dicerent, originem ei non cœptam, ſed* MANENTEM *dedit*... *Ac ne hæc origo ejus ex qua natus eſt manens*; iſthic verò, *Non ut eſſet, cœpit ex nihilo, ſed exiit à manente: & exiiſſe ſignificationem habet nativitatis, non habet inchoationis*. Solus libri 6. de Trinitate numerus 13. ſufficit, quo percipiat quiſque quantum hoc verbum Hilario ſaperet, & quid ſaperet, ſeu quæ ejus eſſet vis ac poteſtas. Primò quidem ibi dicit: *Cùm nativitas manentem teſtetur auctorem*; ac poſt pauca ſubdit, *Non enim qui manebat Deus, ſed ex manente Deo Deus natus eſt, tenens in ſe naturam gignentis in nativitate natura. Nativitas autem Dei, quæ ex Deo in Deum exſtitit, non quæ non erant tenet, ſed quæ Dei manebant & manent obtinuit veritate naſcendi*; tandemque proximè poſtea conclu-

dit, *Non ergo qui erat natus eſt, ſed ex his atque in his, quæ Dei erant, Deus natus exſtitit.* Quid enimvero poſtremi hujuſce loci initio ſibi vult, *Non enim qui manebat Deus natus eſt?* nimirum quod in concluſione, *Non ergo qui erat natus eſt.* Quid illud circa medium ejuſdem loci, *ſed quæ Dei manebant & manent obtinuit veritate naſcendi?* hoc rurſum quod in eadem concluſione, *ſed ex his atque in his quæ Dei erant, Deus natus exſtitit.* Ex quo evidenter perſpicitur, id eſſe Hilario in allatis locis *manere*, quod *eſſe, exſtare, exſiſtere.*

Verbo autem *manere* eò uſus eſt libentiùs, quo cùm ſemel duabus illis voculis *ex Deo*, Chriſtum non à ſe eſſe, ſed productum eſſe, & ex quo productus ſit, ſatis docuiſſet, aptius deinceps viſum eſt verbum *manet* ad enuntiandam generationis illius æternitatem; utpote quod nullum animo permittit excogitare momentum, quo non jam productus concipiatur: eo fere modo quo initium Evangelii Johannis, *In principio erat Verbum*, numquam non exſtans Verbum nobis repræſentat.

Contrà, ne hæreticis videretur favere, qui generationem Verbi certis quibuſdam exprimebant fluxibus,

qui ſine diviſione, ſine partibus, adeoque ſine corpore percipi nequeunt, Verbum *manare* aut *emanare*
Lib. de Synod. n. 22. " ſtudioſè vitabat. Non enim, inquit, " aut pars eſt Filius, ut unus dici poſſit " natus & generans. Neque *emanatio* eſt, " ut continenti fluxu per corporalem " & individuum procurſum, idem ipſe " fluxus & refluxus retentus in origi- " ne, ipſum ſibi ſit ſerie atque tractu " cohærenti origo quod fluxus. Eamdem ob cauſam tum lib. 2. de Trin. n. 22. tum lib. 6. num. 35. *derivationis* vocabulum rejicit.

Affectavit & Auguſtinus, cùm Verbi divini præſtantiam recèns baptizatorum mentibus altiùs impreſſam vellet; illud eis velut ſemper manens repræſentare, atque à verborum noſtrorum, aliarumque rerum quæ velut fluvius manant ac tranſeunt, ſpecie
Serm. 119. nov. edit. n. 3. „ eos avocare. Quis, inquit, compre„ hendat effectu Verbum manens? „ Omnia verba noſtra ſonant, & tranſ„ eunt. Quis comprehendat Verbum „ manens, niſi qui in ipſo manet? Vis „ comprehendere Verbum manens? „ Noli ſequi flumen carnis: caro quip„ pe iſta fluvius eſt; non enim manet. „ Contemnamus fluvium iſtum ma„ nantem, currentem, deſinentem.

Addo & his illud Fulgentii lib. de fide ad Petrum : *Illa enim natura, quæ ſemper genita manet ex Patre, naturam noſtram ſine peccato ſuſcepit.* Ubi cùm verbo *manet* adjungit *genita*, clariorem reddit ſententiam. Idem verbum & apud Hilarium ſubintelligendum dicerem, niſi mihi conſtaret, eum in allatis locis vocabulo *manere* exſiſtentiam intelligere quamdam Verbo propriam, & rerum creatarum exſiſtentiæ, quæ de non exſtantibus eſt, oppoſitam; ut nimirum ab Arianis, qui Verbum de non exſtantibus eſſe prædicabant, animos ac mentes avocaret. Cap. 2. n. 14.

Et hæc quidem de prima Anonymi depravatione. In altera autem, qua pro his; *cùm qui ex Deo Deus eſt*, legit *cùm qui ex Deo eſt, Deus eſt*, addito primo *eſt*, nihil eſt quòd diutius immoremur: cùm additamentum illius nulla codicum auctoritate confirmet, ac ſaltem ſupervacaneum judicetur.

Supervacaneum autem non fuerit, priùs quàm ad alterum locum transeamus, duo hîc obſervare. Dixi in iis quæ de manuſcriptorum uſu prælibavi, codicum in ſingularibus veterum locutionibus retinendis conſtantiam non levem eſſe notam, qua eorum ſinceritas dignoſcatur. Nec im- Pag. 20.

meritò quis inter ſingulares Hilarii locutiones eam poſuerit, qua verbo *manere*, eò intellectu quo mox expoſui, tam frequens utitur. Si quis igitur codex modò *m net*, modò *manat* exhiberet, uti videre eſt in editionibus Benedictinâ ſuperioribus, in quibus lib. 6. de Trin. n. 11. *manet*, ac lib. 7. n. 26. *manat* legitur, ſuſpectæ fidei jure haberetur.

Præterea ex dictis conficitur, quàm vanum & quàm fallax ſit illud Germonii in ſæpius memorata appendice argumentum, quo allatis quibuſdam Hincmari excerptis adversùs eos qui dicta patrum mutila ac detruncata
P. 404. citant, infert: *Sanè Hincmarus adverſùs Gotheſcalcum & Ratramnum ſcribens nec tam ſæpe nec tam vehementer in falſatores inveheretur, niſi adverſariis familiare fuiſſet hoc vitium.* Planè quidem vitioſa per ſe eſt hæc conſecutio, qua ex dictis Hincmari concluditur aliud, quàm quod in iis continetur. Ludit Diſceptator in ambiguo. Falſatores, ſeu *infalſatores*, adversùs quos Hincmarus ibi invehitur, eos hic præſul intelligit, qui in ſcriptis ſuis patrum teſtimonia truncata aut interpolata laudant; ſic verò Diſceptator accipi vult, quaſi hoc verbo Hincmarus eos qui codi-

cès falſant & adulterant intellexerit. Sed de his modò nihil moror : pone & Hincmarum re ipſa adversùs codicum falſatores, contra Gotheſcalcum & Ratramnum ſcribendo, invectum eſſe : num inde ſequitur ut iis familiare fuerit hoc vitium ? Ex eo quòd Anonymus confidenter, uti mox præfabar, de memorato Hilarii loco pronuntiarit, *Falſatus eſt hîc locus apud Benedictinos*, num conſequitur ut re ipſa falſatus credi debeat, ac Benedictini falſatores audire ? Semper exſtiterunt homines, ſive malevolo ſive præcipiti animo, ad ſiniſtrè de aliis aut ſuſpicandum aut etiam judicandum promti ac faciles, hodieque non raro experimur integræ ac ſinceræ fidei viros velut impoſtores traduci. Nullus igitur erit tam probus, cui famæ ſuæ non ſit formidandum, ſi hujuſmodi conviciis nulla ratione firmatis ac probatis fides habenda ſit.

Quod ad Anonymum attinet, eum non malevolo animo Hilarii locum apud Benedictinos falſatum aſſeruiſſe facilè largiar ; ſed præproperum ac præceps illius judicium excuſare nequeo. In idem rurſus vitium incidit, cùm alterum locum à Benedictinis minimè intellectum ac turpiter de-

pravatum non minori fiducia affirmat: ea enim accuſatio præcedente non levior, nullâ vel leviſſimâ rationis alicujus umbrâ nititur. Quod ubi evidenter explanaverim, neminem futurum puto, qui quantum nonnullis imaginandi vis imponat, non demiretur. Id ex capite ſubſequenti planum fiet.

CAPUT II.

Falsò ab Anonymo inſimulatos eſſe Benedictinos, quòd non intellexerint ac prorſus perverterint Hilarii locum, in quo nihil eos mutaſſe conſtat. Quot erroribus referti ſint Anonymi in eum locum commentarii.

ANONYMUS primò ponit, probationes ſibi ſuppetere ſole clariores, quibus Hilarii Gallicanorumque epiſcoporum de Trinitatis myſterio doctrinam Benedictinis incompertam fuiſſe, eoſque ad illorum ſyſtema & locutiones caligaſſe evincat.
Pag. 119. Tum inter perſpicuas illas probationes eam memorat, quam proximè excuſſimus, eum videlicet locum, in

quo illi *ex Deo manet* retinuerunt; ac novam, quam evidentiſſimam jactitat, ſic proponit: propria enim illius verba, quamvis alieno huic ſcriptioni idiomate, exſcribenda duxi, ne fortè quis ea, ſi latinè verterem, non ſatis fideliter reddita ſuſpicaretur.

1. Les Arriens & les Sabelliens, « pour montrer qu'il n'y a qu'une per- « ſonne en Dieu, oppoſoient aux Ca- « tholiques ces paroles d'Iſaie ſelon la « Vulgate de ce temps-là, *Adorabunt te,* « *& in te deprecabuntur, quoniam in te eſt Deus,* « *& non eſt Deus præter te. Tu enim & Deus,* « *& neſciebamus te.* «

Pag. 116.

In poſtremis hiſce verbis Anonymus duo contra bonam fidem peccat: primum, quòd legit *Tu enim & Deus*, ubi Hilarius habet *Tu enim es Deus*; alterum, quòd poſt verba *& neſciebamus*, addit *te*, reluctante Hilario, ut & ſacro textu. Proſequitur.

2. Ils concluoient de ce paſſage, que « puiſque le Prophete y aſſure qu'hors « de celui à qui il parloit, qui étoit le « Pere de lumieres, il n'y avoit point « d'autre Dieu que lui, il ne falloit « donc pas croire que le Verbe fût « Dieu: *Uſurpas ô hæretice ad confeſſionem* « *ſolitarii, Non eſt Deus præter me. Hil. lib.* « *4. de Trin. n. 38.* «

Pag. 117.

Hilarius lib. 4. n. 40. non 38. poſt verba *ad confeſſionem ſolitarii*, ſubdit *Dei Patris*, quæ hîc Anonymus ſubtrahit. Proximè habet.

» 3. Mais les Catholiques au con-
» traire & S. Hilaire avec eux ſe ſer-
» voient de ce même paſſage, pour faire
» voir qu'outre celui, à qui parloit Iſaie,
» il y avoit une autre perſonne, à qui
» Dieu le Pere parloit, & donnoit le
» nom de Dieu au même endroit : *Quo-*
» *modo ex prædicatione Dei Patris dicentis, non*
» *eſt Deus præter te, dictum interpretaberis?*
» *Ibid. n.* 40. D'où S. Hilaire conclut,
» qu'il y a un Dieu d'où procede un
» autre par generation ; & qu'ainſi il
» n'y a ſelon Iſaie, qu'un Dieu ſans
Pag. » origine, à ſçavoir Dieu le Pere, &
118. » qu'il n'y a qu'un Dieu engendré, à
» ſçavoir Dieu le Fils. *Honoris fidem in-*
» *naſcibili Deo confitere, quòd abſque eo Deus*
» *nullus ſit, unigenito Deo prædica, quòd præ-*
» *ter eum Deus nullus ſit. Num.* 41. *ibid.*

Neque hîc Anonymus Hilarii verba reddit, ſed invertit ; cùm in omnibus libris extet : *Honoris fidem innaſcibili Deo confitere, quòd præter eum Deus nullus ſit : unigenito Deo prædica quòd abſque eo Deus non ſit.* Pergit.

» 4. Toute la beauté de ce raiſonne-
» ment de S. Hilaire eſt, que Dieu le

Pere eſt proprement le Dieu ſans le- «
quel il n'y a point de Dieu engendré «
ni procedant. (Hîc interpoſitis non- «
nullis teſtimoniis, quæ ad rem noſtram non faciunt, tandem concludit :) C'eſt donc de Dieu le Fils « *Pag.*
qu'Iſaie a dit, qu'hors de lui il n'y « *119.*
avoit point de Dieu qui fût engen- «
dré par le Pere, *Non eſt Deus præter te*, «
id eſt Deus genitus. «

Ne quis putet illud, *id eſt Deus genitus*, eſſe Iſaiæ : merum eſt Anonymi gloſſema. Exinde in Benedictinos ſic invehitur.

5. Les Benedictins, qui n'ont rien «
compris dans ce paſſage, non plus que «
dans celui dont j'ay parlé ci-deſſus «
pag.111.(in qua ſcil. pagina Benedicti- «
nos falſati loci reos judicavit) ont «
tout renverſé, & font dire une ſot- «
tiſe & une hereſie à S. Hilaire ; car «
ils lui font dire, que c'eſt de Dieu le «
Fils que le Prophete Iſaie a dit, *Abſ-* «
que eo Deus nullus eſt, ſans vous il n'y «
auroit point de Dieu dans la Trinité, «
(nuſquam apud Iſaiam legere eſt, *Abſque eo Deus nullus eſt*, ſed, *non eſt Deus præter te*, quod unum Iſaiæ nomine Benedictina editio repræſentat.) Ce «
qui eſt tres faux, puiſque Dieu le Pere «
n'eſt point Dieu par le Fils, mais bien «

» par lui-même. Voici comme les Be-
» nedictins ont mis dans le texte de S.
» Hilaire : *Honoris fidem innaſcibili Deo con-*
» *fitere quod præter eum Deus nullus ſit : uni-*
» *genito Deo præda quod abſque eo Deus nullus*
» *ſit.* Hil. Benedict. pag. 852. Voilà
» certes de plaiſans correcteurs.

Hactenus inter referenda Anonymi verba tantùm quæ contra bonam fidem aut accurrationem deliquit, annotavi : quibus & addendum, quòd Benedictini poſtremo loco in textu Hilarii poſuerint, *Prædica quòd abſque eo Deus non ſit*, non, *præda quod abſque eo Deus nullus ſit.* Sed hæc leviora forſitan videbuntur delicta.

Illud gravius, quod Benedictinis imponit, eos ſcilicet omnia Hilarii dicta pervertiſſe, atque eorum operâ factum, ut ſapientiſſimus ille atque catholiciſſimus præſul nugas & hæreſim jam dicat : cùm tamen illi, quod poſt audita proxima Anonymi dicta ægre quis ſibi perſuaſerit, in citatis locis nihil correxerint, nihil mutaverint, nullam notam ediderint, atque eorum editio cum præcedentibus, ut & cum omnibus ſcriptis codicibus, hac in parte conſentanea ſit. Si igitur in præcedentibus editionibus præclara videtur Hilarii ratiocinatio ; eadem

eadem & in Benedictina videri debet; cùm eadem ſint verba, idem ordo verborum, nihil ſubtractum, nihil additum, nihil loco motum ſit. In quo ergo ponit Anonymus probationes illas ſole clariores, quibus perſuaſum habere ſe dicit, Hilarii mentem Benedictinis prorſus incompertam fuiſſe?

Quàm hoc ille de iis falsò, tam illi de ipſo verè affirmare poſſunt. Vix enim credas quàm multa in tam paucis, quàmque graviter erret vir non ineruditus, & plurimæ lectionis. Neque ſolùm Benedictinis atque Hilario affingit quæ in eorum mentem numquam venerunt, ſed & ab ipſo diſceptationis ſuæ exordio id pro certo ponit, quod nec ipſi largiretur vel qui Theologiam à limine ſalutaſſet.

Primò enim Arianos ſimul & Sabellianos in unùm conſpirantes facit, atque inducit idem Catholicis opponentes Iſaiæ teſtimonium, quo unicam in Deo perſonam eſſe ſuadeant.

At norunt omnes in eccleſiaſtica doctrina tantiſper verſati, quantum à ſe diſſiderent Sabelliani & Ariani; atque illos quidem in Deo ut naturam unam, ita & unam perſonam, quæ tribus nominibus donata ſit, cre-

dere, hos verò perſonas tres, ſed quibus natura non una ſit, profiteri. Quocirca eos Hilarius ubique invicem opponit: ac ſicut argumentis Sabellianorum adversùs Arianos utitur, ut oſtendat in Deo naturam unam; ita & Arianorum adversùs Sabellianos contorquet, ut plures perſonas in Deo ineſſe confirmet.

Re ipſa nulla propriè eſt illic Hilarii cum Sabellianis conflictatio. Immo, in quo graviter Anonymus hallucinatur, Iſaiæ teſtimonium non Ariani Hilario, ſed Hilarius Arianis opponit. Objiciebant Ariani Catholicis, non Iſaiæ, ſed hunc Deuteronomii cap. 32. 39. locum, *Non eſt Deus præter me*, atque hinc capitalem ſententiam ſuam, qua Patrem ſolum Deum verum eſſe volunt, adſtrui contendebant. Quibus opponens Hilarius amplum Iſaiæ teſtimonium, primùm obſervat Filium in illo ter à Patre Deum deſignari. Tum in eo maximè inſiſtens, quòd Pater Filium alloquatur in hunc modum, *Non eſt Deus præter te*, orationem ad Arianum ſic appoſitè convertit: *Uſurpas, ô hæretice, ad confeſſionem ſolitarii Dei Patris* (illud Deut. 32. 39.) *Non eſt Deus præter me: quomodo ex prædicatione Dei Patris dicentis,*

(Iſaiæ 45. 14.) Non est Deus præter te, *dictum interpretaberis, ſi per id quod dictum eſt*, Non est Deus præter me, *affirmare contendis ne Dei Filius Deus ſit ?* Hoc eſt, ſi propter locum Deuteronomii ſolus Pater credendus erit Deus, æquè & propter locum Iſaiæ ſolus Filius credendus erit Deus : utrobique enim eadem loquendi ratio. Sed Filius apud Iſaiam non intelligitur ſolus Deus : neque igitur in citato Deuteronomii loco Pater.

Fallitur & in hoc, quòd utrumque illum locum confundit, & unam putat eamdemque eſſe Iſaiæ ſententiam. Quo ex errore in errorem labitur alium, & cum Hilario pugnantia loquitur, cùm in loco Iſaiæ, quem Hilarius laudat, Prophetæ ad Patrem eſſe dicit ſermonem, diſertè docente Hilario abſolutam & apertam in eo eſſe Dei Patris de Domino noſtro profeſſionem.

In iis igitur Anonymi dictis quæ num. 2. notavi, quæque incipiunt à verbo, *Ils concluoient de ce paſſage*, nullum reperias verbum veritati conſentaneum. Concluſio ſubjecta non eſt Arianorum & Sabellianorum ſimul, ſed unorum Arianorum : non conſi-

citur ex verbis Iſaiæ, ſed ex ſententia Deuteronomii: in allato Iſaiæ teſtimonio non Propheta Patrem univerſorum, ſed Pater Filium, ſecundùm interpretationem Hilarii, alloquitur.

Neque minùs ſunt abſurda, quæ initio num. 3. depromit, ubi enarrat Hilarium ceteroſque Catholicos eodem, quo hæretici, uſos eſſe Iſaiæ teſtimonio, ut aliam à Patre in Deo perſonam eſſe oſtenderent. Numquid idem eſt teſtimonium, *Non eſt Deus præter me*, quo utebantur hæretici; &, *Non eſt Deus extra te*, quod hæreticis opponebant Catholici? Deinde ut illud, *Non eſt Deus præter me*, uſurpabant hæretici, quo divinam Chriſto naturam negarent, ita & hoc, *Non eſt Deus extra te*, aſſumebat Hilarius, quo Chriſtum verum Deum eſſe defenderet: nullà verò de perſonarum diſtinctione erat inter eos controverſia. Præterea ubi in teſtimonio Iſaiæ offendit hanc, ut ſibi fingit, ſermocinationis demutationem, qua primùm Iſaias Patrem, tum Pater Filium alloquatur. Demum etiam ſi daretur, quod omnino falſum eſſe evici, verba hæc, *Non eſt Deus præter me*, apud Iſaiam cap. 45. haberi, certè non in

his Iſaias Patrem alloquens, ſed Deus ipſe de ſe loquens inducitur.

Exinde tranſit ad concluſionem Hilarii : ſed ab eo, qui in principiis ſancti doctoris interpretandis toties ceſpitavit totieſque falſus eſt, quæ exſpectanda concluſio, niſi quæ ſit ab ejuſdem præſulis mente aliena ? Illius autem ſententia ut certiùs perſpecta habeatur, obſervandum eſt non hoc in allato loco agi, utrùm unus Deus ingenitus & ſine principio, & unus genitus Deus credendus ſit; ſed ſimpliciter utrùm Dominus noſter Chriſtus ſit Deus. Negabant Ariani, & Patrem ſolum verum Deum profitentes, profeſſionem ſuam hoc dicto tuebantur, *Non eſt Deus præter me*, quo Filium à natura divina excludi volebant. Reponebant Catholici & de Filio à Patre dici, *Non eſt Deus præter te*, rogabantque Arianos ut has duas è ſacris libris pariter depromtas ſententias conciliarent. Quod cùm ſecundùm eorum dogma præſtari non poſſit, auctor eis eſt Hilarius ut redeant ad catholicam fidem, & ita Filium ſicut & Patrem confiteantur Deum, ut de utroque æquè prædicare liceat, quòd præter eum Deus non ſit; quia nimirum utriuſque

una eſt natura. Hoc unum ille ſibi voluit hac concluſione, qua orationem ad hæreticum convertens ait: *Honoris fidem innaſcibili Deo confitere quòd præter eum Deus nullus ſit: Unigenito Deo prædica, quòd abſque eo Deus non ſit.* Vocabula *innaſcibili* & *unigenito* uſitata ſunt epitheta, quibus Patris & Filii perſonas diſtinguit, non quæ eis convenire datâ operâ probarit, aut probare opus fuerit, cùm ab ipſiſmet Arianis ea illis attribuerentur.

Neque tamen inficias ierim, Hilarium ibid. n. 40. in id etiam pro more incumbere, ut perſonarum Patris & Filii diſtinctionem demonſtret. Id verò non primariò aggreditur, ſed velut ex acceſſione; neque ex eodem Iſaïæ dicto, *Non eſt Deus præter te*, ſed ex hoc altero, *Quoniam in te eſt Deus.* At ſummum rei adversùs Arianos ei erat, quorum primam ac præcipuam fidei formulam in libro quarto è Scripturis veteris Teſtamenti refutandam ſuſcepit; adeoque in id præcipuè intendebat, ut Chriſti deitatem, quam illi negabant, aſſereret.

Hanc ex prædictis Iſaïæ verbis, *Non eſt Deus præter te*, non ille ſolus probavit, ſed & Tertullianus contra Prax.

c. 13. Lactantius lib. 4. c. 29. Auctor antiquus quæſt. vet. & nov. Teſtam. apud Auguſtinum in append. to. 3. quæſt. 91. pag. 87. Auctor alius Sermonis de Symbolo apud eumdem Auguſtinum in appendice to. 8. pag. 16. Ambroſius lib. 1. de fide c. 3. eamdem ex eodem loco comprobarunt.

Fruſtra igitur contendit Anonymus, totam Hilarianæ ratiocinationis elegantiam ac vim in hoc ſitam eſſe, ut Patrem propriè eſſe Deum abſque quo non ſit Deus genitus aut procedens, & Filium eſſe Deum præter quem nullus ſit Deus à Patre genitus, perſuadeatur. Cùm in verbis illis, *Non eſt Deus præter me*, quæ Ariani Hilario non refragante Patri attribuebant, & in iſtis, *Non eſt Deus præter te*, quæ de Filio prædicari Hilarius confirmat, idem ſanctus eamdem vim & poteſtatem ineſſe affirmaret, de hoc diſcrimine ingeniti & geniti nihil eum tum cogitaſſe certum & exploratum eſt. P. 118.

Quamobrem ne Benedictinis Anonymus imponat. Illi non ediderunt, *Unigenita Deo præda quòd abſque eo Deus nullus ſit*, ſed, *Unigenito Deo prædica quod abſque eo Deus non ſit.* Neque hæc verba poſuerunt de ſuo; ſed ex omnibus

editis & ſcriptis exemplaribus. Hilarius hiſce vocabulis aptè reddit Iſaïæ Prophetæ dictum, *Non eſt Deus præter te*; cui adjunctum ab Anonymo gloſſema, *id eſt Deus genitus*, Benedictini neſciunt: ſimulque abhorrent ab inepta & abſurda ejuſdem dicti interpretatione Filio ſic aptata, *Sans vous il n'y auroit point de Dieu dans la Trinité.* Sed Prophetæ dictum, ſi opus eſſet, ſic interpretarentur, *Il n'y a point d'autre Dieu que vous.* In quo ſanè nulla ineptia, hæreſis nulla; ſed fides catholica, quæ cùm Patrem & Filium verum Deum credat, eos tamen ſolis perſonis diſtingui, ac naturâ numero unâ unum numero Deum eſſe confitetur.

In his tricis nimius fuiſſe videar: ſed operæ pretium duxi palam omnibus facere, quàm Anonymo, etiam in iis quæ maxima cum fiducia aſſeverat, credere parum tutum ſit. Omnes illius conatus in id unum tendebant, ut reluctantem Hilarium traheret ad perverſam hanc & hæreticam opinionem, qua vult * omnes anti-

* *Voilà la Theologie de tous les anciens. Ils n'ont point reconnu d'autre unité entre le Pere eternel & ſon Fils unique, ſinon celle qui eſt entre l'enfant & le pere parmi les hommes & entre les animaux d'une même eſpece.* Anon. pag. 93.

quos patres nullam aliam inter Patrem æternum & unigenitum Filium agnoviſſe unitatem, quàm quæ apud homines inter Patrem & Filium, aut inter animalia ejuſdem ſpeciei intercedit; ita ut Pater & Filius non minùs duæ ſint naturæ ſingulares, quàm Adam & Seth duæ ſunt naturæ humanæ, neque minùs duo ſint dii, quàm iidem duo ſunt homines. quod ab Hilarii ut & omnium veterum doctrina longiſſimè abhorret: ſed hoc demonſtrare non eſt hujus loci.

Tantùm noto, Hilarium hac profeſſione librum ſuum quartum claudere: *Abſolutè Pater Deus & Filius Deus unum ſunt, non unione perſonæ, ſed ſubſtantiæ unitate: quia Filio Dei Deo deputari ad alterum Deum non ſinit Propheta quòd Deus eſt:* hoc eſt, propheta Baruch Filio Dei hoc, quòd Deus eſt, non ſinit ad alterum Deum deputari; quia ſcilicet Filius ita Deus eſt, ut non ſit alter Deus à Deo Patre, ſed ambo ſint unus Deus. Qua profeſſione ſanctus doctor in Patre & Filio ſimul & excludit unitatem ſingularem perſonæ, & admittit unitatem ſingularem ſubſtantiæ; atque unionem ad perſonas, unitatem ad naturam expreſsè refert, ut in nova editione obſer-

vatum eſt. Sed hinc Anonymus novam litem movet, cujus judicium capiti ſequenti reſervandum.

CAPUT III.

Vocabulo unionis *unitatem ſingularem apud veteres intelligi: ideoque eos in Deo & unionem perſonæ reſpuere adversùs Sabellianos, & unionem naturæ admittere adversùs Paganos aut hæreticos unitatem Dei negantes.*

ANONYMUS pervicaci accenſus ſtudio dogmatis ſui novi, quo tot in Deo ſubſtantias ſingulares, quot perſonas, credendas ſtatuit, indigniſſimè patitur ſibi à Benedictinis ſubjecta annotatione in mox allata Hilarii verba eùm eripi doctorem, quem credi vellet ſibi conſentientem. Ac licèt illi nuſquam Scholaſticæ opiniones, ſed antiquorum traditiones conſulere, ac præſertim germanos auctoris ſui ſenſus indagare àc ſequi ſoleant, nominatimque in eo loco id unum egerint, ut quod perſpicuè dicit ac docet Hilarius, ab

antiquis aliis pariter dici ac doceri confirmarent ; tamen quod tantis auctoribus afferunt, unis Scholaſticæ præjudiciis attribuit. Præſtat & hîc illius verba proprio idiomate attexere.

« Comme ces bons Religieux ſont R. 114. prevenus des opinions de la Scholaſtique, qui veut à quelque prix que ce ſoit qu'il y ait union d'identité entre la nature du Pere & celle du Fils & du S. Eſprit, & qui la ſuppoſe même comme un article de foy ; ils ont tâché d'accorder l'opinion de ces anciens Evêques (des Gaules) & de S. Hilaire avec leur propres prejugez & avec le langage de l'Ecole, en diſant que le mot d'*unio* chez S. Hilaire répond au mot grec μονὰς, & qu'il ſignifie proprement ſingularité & ſolitude, & que ce ſaint Docteur ne l'excluoit que de la perſonne, & non pas de la nature ; en ſorte qu'il êtoit perſuadé, que c'étoit une hereſie de croire, qu'il y ait union, ſingularité & ſolitude de perſonnes en Dieu, mais qu'il ſoutenoit fortement qu'il y a union, ſingularité, ſolitude & identité de nature en Dieu en la maniere que l'expliquent nos Scholaſtiques.

Mirum quantum Benedictinorum non admodum prolixa nota Anonymum torſerit. Ubi plures paginas ad ejus obſcurandam veritatem inſumſit, rurſum adversùs eos regreditur ac dicit.

P.125.» C'eſt une pure viſion que de s'imaginer, comme font les Commentateurs Benedictins, qu'à la verité S. Hilaire ne veut point d'union dans les perſonnes divines, mais qu'il en veut dans la nature : car on ne trouvera jamais que ce grand Saint ait reconnu l'union dans la nature non plus que dans la perſonne.

Illi tamen non inanibus deluſi viſionibus, ſed ipſo oculorum contuitu perſuaſi, ſcribunt Hilarium à Deo perſonæ unionem explodere, & in eo admittere ſubſtantiæ unitatem. Argumenti hujus vim præſentiſcens Anonymus, quærit quid ſibi velit illud Hilarii, *Unum ſunt non unione perſonæ, ſed ſubſtantiæ unitate*, atque ſuam de Trinitate ſententiam magis ac magis retegens, ſic Hilarium explicat.

P.126.» Que veut donc dire S. Hilaire, quand il dit que le Pere & le Fils ſont une même choſe, non par l'union de la perſonne, mais par l'unité de la ſubſtance... C'eſt ce que les Bene-

dictins Commentateurs n'ont point «
compris, & qu'il faut leur expliquer, «
ou plûtôt cela vient d'eſtre expliqué «
& mis au jour par tout ce que j'ai dit «
ci-deſſus, ſçavoir que quoi que la «
nature des Perſonnes divines ſoit de «
même eſpece & de même genre, & «
s'il m'eſt ainſi permis de parler, de «
même pâte & de même ſubſtance, «
toutefois elles ne laiſſent pas d'eſtre «
TROIS EN NOMBRE, & d'exclure «
la ſingularité & l'union que Sabel- «
lius vouloit introduire. «

Hîc Anonymus in Deo & naturam genere aut ſpecie unam, & tres numero naturas non obſcurè affirmat. Quod & apertiùs pag. 130. & ſeqq. confirmat. Tum pag. 133. id quod & affirmavit ſæpius atque confirmavit, videtur deſtruere, verbis expreſſiſſimis aſſerendo * naturam divinam, utpote infinitam, unam numero & individuam in Patre & Filio & Spiritu-ſancto eſſe oportere. Sed cùm numquam non ſit infinita, numquam etiam eſſe aut cogitari poteſt niſi numero una. Quomodo igitur tres numero naturas

* *Il faut en conſequence de ſon infinité, qu'elle ſoit la même individuellement, formellement, numeriquement, ſolidairement, & arithemetiquement dans le Pere, le Fils & le S. Eſprit.*

in Deo eſſe vult, in quo naturam numero unam neceſſariò eſſe oportere confitetur? Secum ipſe conveniat, aut pugnantia loqui tandem deſinat. Jam hoc quidem ex parte præſtitit, cùm trium in Deo naturarum opinionem, ſuam eſſe diffitendo, damnavit. Sed præſtitutum mihi limitem prætergredior, qui non novum ſyſtema expugnare, ſed Hilarii locos iniquis Anonymi cenſuris aut falſis interpretationibus divexatos vindicare mihi propoſui: ad inſtitutum revertor.

Primò quidem quæ eſt hæc ejus cum Benedictinis expoſtulatio, aut unde habet eos eſſe Scholaſticæ præjudiciis imbutos? Scholaſticæ nomine ſi novas quaſdam opiniones aut locutiones intelligat, quæ à Scholaſticorum ortu obtinere cœperint; quam in eorum ſatis ampla nota ſententiam, quam vocem invenit quæ Scholam ſapiat? quid in ea antiquitatem non redoleat?

Deinde, utrùm Hilarius ſingularitatem, ſolitudinem, identitatemque naturæ in Deo acriter propugnarit nondum expendo; ſed ubi hæc ei diſertè attribuant Benedictini, in eorum nota quæro, nec invenio. Nimirum intra auctoris ſui ter-

minos ac loquendi modos ſe continentes, ei in omnibus morem gerunt; ac præcinenti Patrem & Filium *unum* eſſe *non unione perſonæ, ſed ſubſtantiæ unitate*, prorſus concinentes, monent unitatem ad naturam, & unionem ad perſonas ab Hilario referri; ideoque eum *propugnare unitatem*, & *unionem explodere*, nulla omnino unionis naturæ aut ſingularitatis, ſolitudinis atque identitatis naturæ factâ mentione.

Quanto igitur potiori jure quod Anonymus in Benedictinos convicium fundit, his in illum retorquere liceat? Uter eorum veriùs fictitiis viſionibus deditus ſentiatur, qui id tantùm quod re exſtat vident, an qui quod nuſquam exſiſtit, ſe vidiſſe ſibi perſuadet? Vidit jam Anonymus locum Hilarii apud Benedictinos falſatum; quemtamen intactum ab illis relictum eſſe experti ſumus. Vidit & eoſdem alterum locum per omnia invertiſſe, in quo pariter ne apicem quidem ab eis mutatum eſſe palam fuit. Videt & nunc eos de Hilario prædicare, *unionem naturæ* in Deo acriter ab illo propugnatam; cùm tamen expreſſis verbis obſervent, quòd *unio ad perſonas ab Hilario ſemper referatur.* Quamquam

non negant, ſe ſingularem naturæ unitatem in Deo credere, eamque eſſe Hilarii ac totius Eccleſiæ catholicæ fidem. Sed de eo quod ſcripſerunt, non de eo quod ſentiunt hîc ſermo eſt.

Ex eorum obſervatione diſcimus, 1°. vocabulum *unionis* apud Hilarium reſpondere verbo græco *μονὰς*, eoque ſolitudinem ac ſingularitatem ſignificari; ſolitudinem, inquam, ac ſingularitatem perſonæ, non naturæ; 2°. ea voce hæreſim deſignari Sabellii, qui tres divinas perſonas confundens, eas tribus tantùm nominibus diſtinguebat; 3°. hanc vocem ab Hilario ad perſonas referri, eumque ubi *unionem* deteſtatur ac damnat, ſive adjungat vocabulum *perſonæ*, ſive reticeat, unionem perſonalem ſeu hæreſim Sabellii, cujus error in perſonarum confuſione tòtus erat, perinde damnare atque deteſtari; demum non deeſſe qui *unionem* etiam ad naturas referant, ſed his vocem *unionis* cum *unitatis* vocabulo eſſe ſynonimam; adeo ut unionem naturæ non reſpuant, ſed defendant atque propugnent.

Quòd *unio* apud Hilarium id ſit quod græcè *μονὰς*, non ambiget, qui quam

quam lib. 4. & 6. de Trin. adornavit profeſſionis fidei Arianæ latinam verſionem contulerit. Ubi enim Ariani græcè dicunt, οὐδ' ὡς Σαβέλλιος ὁ τὴν μονάδα διαιρῶν, Hilarius latinè vertit, *Nec ſicut Sabellius, qui unionem dividit.* Idem ejuſdem vocis uſus eſt & apud alios. Quid enim ſibi vult apud Tertullianum lib. de Monogamia. c. 4. *unio conjugii*, niſi quod ipſo *monogamiæ* titulo indicatur, id eſt *ſingularitas conjugii?* Ita & cùm ab Hieronymo epiſt. 22. ad Euſtoch. Maria prædicatur *ad ſimilitudinem Dei unione fecunda*, docemur B. Virginem in procreatione temporali Chriſti fuiſſe ſolam, ſicut & ſolus fuit Pater in æterna ejuſdem generatione. His accedit quod ab eodem lib. adversùs Jovinian. dicitur, *non eſſe bonum duplicem numerum, qui ab unione dividit.* Singularitatem quoque perſonæ ſignificat *unionis* vox in his Vigilii Tapſenſis epiſcopi lib. 2. contra Eutychen c. 5. *Quia eſt in Chriſto & naturarum proprietas, &* PERSONÆ UNIO; *Neſtorius proprietatem attendendo naturarum, à* PERSONÆ *excidit* UNIONE. Eadem ratione Gelaſius lib. de duabus naturis Neſtorii hæreſim exprimit.

L. 4. de Trin. n. 12. & l. 6. n. 5.

Quòd verò Hilario *ſolitarius*, *ſoli-*

tudo, & *ſingularis*, nulla alia voce addita, perſonæ ſingularitatem ſonet, vel ſolus numerus 17. libri 4. de Trin. fidem faciet. Eadem etiam eſt vocum earumdem apud alios patres poteſtas. A Benedictinis jam relatum eſt illud Ambroſii lib. 5. de fide c. 1.
» Evidens eſt igitur, quia quod unius
» eſt ſubſtantiæ, ſeparari non poteſt,
» etiamſi non ſit *ſingularitatis*, ſed unita-
» tis. Singularitatem hanc dico, quæ
» græcè μονότης dicitur. Singularitas ad
» perſonas attinet, unitas ad naturam.
Addo & iſtud Leonis Serm. 2. de
» Reſurr. c. 5. Credens in Patrem &
» Filium & Spiritum-ſanctum nec uni-
» tatem gradibus dividat, nec trinita-
» tem *ſingularitate* confundat.

Singularitatis, præſertimque *unionis* vocabulo, veluti proprio quodam nomine, Sabellii hæreſis ab Hilario & æqualibus ſive ſupparibus ſolet deſignari. Hinc quemadmodum ab Hilario Sabellii hæreſis *hæreſis unionis* ſimpliciter appellatur, ita & à Prudentio in Apoth. ante v. 178. huic hæreſi addicti *Unionitæ* nuncupantur. Hinc & à Sulpicio p. 242. ſcribitur Photinus *à Sabellio in unione diſſentiens.* Eodem Sulpicio teſte pag. 255. Orientalibus injecta erat ſuſpicio de

Lib. de Synod. n. 26.

Gallis, quòd *trionymam ſolitarii Dei unionem ſecundùm Sabellium* crederent. Ipſi verò Galli apud Hilar. Fragm. XI. n. 2. reſcribunt, ſe *ſecundùm Sabellii blaſphemias unionem deteſtari.*

Famoſa eſt Hieronymi querela ex occaſione vocis *hypoſtaſis*, loco *perſonæ*, apud Orientales recenti uſu receptæ. Nam cùm à grammaticis accepiſſet, vocem *hypoſtaſis* ſubſtantiam ſonare, ac tres in Deo ſubſtantias prædicari non licere à fide catholica didiciſſet; religioni ipſi erat *tres hypoſtaſes* dicere: ſed hac profeſſione fidem ſuam malebat exprimere, *Si quis autem hypoſtaſim uſiam intelligens, non in tribus perſonis unam hypoſtaſim dicit, alienus à Chriſto eſt. Et ſub hac confeſſione*, inquit ad Damaſum, *vobiſcum pariter cauterio unionis inurimur.* *Hieron. epiſt. 57. ad Damas.* Quod hîc, *cauterio unionis inurimur*, hoc epiſt. 77. ad Marcum de eadem re rurſum expoſtulans planiùs dicit, *Sabellianæ impietatis arguor.*

His ſuffragatur & antiquus auctor quæſt. vet. & nov. Teſtam. apud Auguſtinum append. to. 3. quæſt. 72. pag. 72. ubi hæc habet: Sabellium " autem, qui unionem accipit Patrem " & Filium, ut natus ſingularis duo- " bus nominibus nuncupetur, ſic con- " futat (Evangelium Johannis, ut dicat, "

„ *Pater major me eſt:* ubi manifeſtavit duorum
„ perſonas, quando Filius Patrem
„ majorem appellat: nec enim ſingula-
„ ris ipſe ſibi major eſt. Fulgentius quoque ad objecta Arian. 4. Reſpons. Sabellii hæreſim in unionis perſonalis prædicatione poſitam docet his verbis
„ : Fides noſtra, qua unum Deum
„ colimus & timemus, nec unione per-
„ ſonali contrahitur, nec ſubſtantiali
„ diverſitate disjungitur: ne aut deos
„ gentiliter colamus, diverſas colendo
„ ſubſtantias; aut Filium & Spiritum
„ cum Sabellio denegemus, non ſervan-
„ tes in Trinitate perſonas. Non alia notione *unionis* vocabulo utuntur Maximus Taurin. homil. 1. de S. Euſebio & Hincmarus lib. de non trina deitate pag. 418. ut mittam alios.

Quæ cùm ita ſint, jure ac meritò à Benedictinis eſt obſervatum, unionem quoties reſpuit Hilarius, eum in Deo perſonæ ſingularitatem reſpuere. Aliquando quidem *unionis* voci addit *perſonæ* vocabulum, aliquando reticet. Expreſsè adjungit in loco memorato lib. 4. de Trin. n. 42. *Abſolutè Pater Deus & Filius Deus unum ſunt, non unione perſonæ, ſed ſubſtantiæ unitate:* quod perinde accipiendum, atque illud lib. de Synod. n. 69. ſimpliciùs

dictum, *Non perſonâ Deus unus eſt, ſed naturâ;* aut iſtud Ambroſii lib. 1. de fide c. 1. *Ut Pater & Filius unum ſint, non perſonarum confuſione, ſed unitate naturæ.* Adjicit rurſum Hilarius perſonæ nomen lib. 6. de Trin. n. 11. catholicam fidem declarans in hunc modum: *Unionem perſonæ deteſtantes, unitatem divinitatis tenemus.* Reticet verò pluribus locis, ut cùm ait lib. 7. de Trin. n. 15. *Æqualitas verò numquam ibi eſſe credetur, ubi unio eſt;* aut lib. de Synod. n. 21. *Unio non habet nativitatem;* aut lib. 8. de Trin. n. 36. *Non tenes unionem, ut Deus ſingularis ſit: nec tamen dividis Spiritum, ut uterque non unus ſit.* Totum hunc numerum cum ſubſequenti legere operæ pretium fuerit. Interdum denique ita reticet, ut per ſe ſatis intelligatur, ut in hac verborum *Ego & Pater unum ſumus* explicatione: *Ego & Pater,* inquit lib. 7. de Trin. n. 25. « rerum nomina ſunt; *unum* verò naturæ « profeſſio eſt, quia in eo quod eſt uter- « que non differat; *ſumus* autem non « patitur unionem. «

Verùm quocumque modo unionis vocabulum, aut cum adjuncto aut ſecus, Hilarius exprimat, indubitatum eſt eum illa voce, quoties unionem in Deo negat, Sabellii hæ-

reſim indicare. Ut igitur conſtet, utrùm *unio* apud illum ad perſonas divinas, an ad naturam attineat; expendendum eſt dumtaxat, erraveritne Sabellius circa perſonas, an circa naturam. Summo autem patrum conſenſu hic hæreticus de natura divina catholicè ſenſit, nec abiit * in errorem ſingularis perſonæ, niſi quia cum catholico unius naturæ divinæ uniuſque Dei dogmate tres perſonas componere nequiit. Perſpicua eſt hac de re Hilarii ſententia, uti vel ſolus numerus 6. libri 7. de Trin. ubi Sabellium & Arium inter ſe pugnantes, ac mutuâ pugnâ rem Eccleſiæ agentes deſcribit, amplam fidem faciet. Alios brevitatis causâ prætereo, maximè cùm de uno Hilario mihi ſit cum Anonymo controverſia. Planum eſt igitur unionem ab Hilario ad ſolas perſonas referri. Quamobrem Anonymus in ſuprà memoratis ipſius verbis tria aſſerere mihi videtur à vero prorſus aliena: primum, Hilarium in Deo tres crediſſe naturas; alterum, eum unionem rejiciendo, non perſonæ ſolùm, ſed & naturæ ſingularitatem excluſiſſe: poſtremum, Sabellium ideo hæreticum habitum, quia & hanc naturæ

* *Vide Hilar. l. 1. de Trin. n. 15.*

Anon. pag. 125. & 126.

divinæ ſingularitatem induxiſſet. Sed tria illa, quæ nec patitur fides catholica patrumque doctrina, Benedictini jam præverterant, & quæ à me mox dicta ſunt ſatis refutant. His & adjungerem nonnulla, quibus Hilarium, cùm *unitatem naturæ* prædicat, plures numero naturas in Deo non credendas docere demonſtrarem, ni vererer ne Appendix iſta, quæ jam præter ſpem excrevit, modum excederet. Vel ex ſolis libri 8. de Trin. numeris 36.37.& 38. quàm à plurium deorum naturarumve divinarum opinione abhorreat, quiſque judicabit.

Cum igitur Anonymus eos, qui unam numero ac ſingularem in Deo eſſe naturam defendunt, Sabellianorum nomine infamare non timet; ne ſe ampliùs Hilarii auctoritate tueatur: viderit potiùs ne eam in diſcipulos illius criminationem reſtauret, quam ſe Hilarius ipſe eamdem ob cauſam ab Arianis pati ſolitum non tacuit. Solent enim, inquit lib. 10. de Trin. n. 5. ita de nobis implere aures ignorantium, ut nos aſſerant negare nativitatem, cùm unitatem divinitatis prædicamus, & dicant ſolitarium à nobis per hoc, *Ego &* *Pag. 110. & alibi.* « « « « « «

» *Pater unum ſumus*, ſignificari Deum: ut
» innaſcibilis Deus deſcendens in vir-
» ginem homo natus ſit, qui (referat)
» ad diſpenſationem carnis id quod ita
» cœperit *Ego*, ad divinitatis ſuæ de-
» monſtrationem ſubjecerit, & *Pater*,
» tamquam hujus hominis & pater eſ-
» ſet; ex duobus verò conſiſtens, ho-
» mine ſcilicet & Deo, de ſe locutus
» ſit *unum ſumus*. Verba hæc deditâ ope-
râ retuli, in quibus Sabelliana inter-
pretatio expreſſior forſitan quàm uſ-
quam alibi habetur.

Anon. pag. 120. Tandem Anonymus pervicaciter volens Hilarium non perſonæ ſolùm, ſed & naturæ unionem ac ſingularitatem excluſiſſe, De ſubſtantia, inquit, non de perſona, ille dixit, *Non eſt una ex unione aut ex communione, lib. de Syn. n. 71.*

Verùm ille dictum Hilarii, quod mutilatum ac non ſatis fideliter reddit, minimè percepiſſe convincitur. Id agebat pius præſul, ut *homouſion*, quod *unam ſubſtantiam* latinè vertit, homoeuſii ſeu ſimilis ſubſtantiæ defenſoribus recipiendam perſuaderet. Repugnabant illi eo obtentu, quòd *Hilar. lib. de Synod. n. 68.* *homouſion* ſeu *una ſubſtantia* ſenſus hæreticos patiatur, quaſi *idcirco unius ſubſtantiæ Pater & Filius dicatur, ut hic ſubſi-*

ſtens, ſub ſignificatione licèt duûm nominum, unus ac ſolus ſit ; aut, *ut diviſus à ſe ſe Pater intelligatur, & partem exſecuiſſe quæ eſſet ſibi filius* ; aut *exiſtimetur ſubſtantia prior, quam inter ſe duo pares habeant.* Ut autem vanum eſſe oſtenderet quod prætexebant, & omnem diſſidii occaſionem amoveret, reſpondit quod Anonymus ex parte objicit: *Non eſt, fratres cariſſimi, una Patris & Filii neganda ſubſtantia: ſed nec irrationabiliter prædicanda. Sit una ſubſtantia ex natura genitæ proprietate; non ſit aut ex portione, aut ex unione, aut ex communione.* Ita eis planè facit ſatis. *Ibid. n. 71.*

Si enim timent ne homouſii ſeu unius ſubſtantiæ prædicatione *diviſus à ſe ſe Pater intelligatur & partem exſecuiſſe quæ eſſet ſibi filius* ; eos ſedat dicens, *Non ſit ex portione* : ſi ne *exiſtimetur ſubſtantia prior quam inter ſe duo pares habeant* ; & huic timori medetur adjungens, *aut ex communione.* Reſtat igitur ut hoc tertio membro, *aut ex unione*, repellat & hunc pravum ſignificatum, quo idcirco *unius ſubſtantiæ Pater & Filius dicatur, ut hic ſubſiſtens ſub ſignificatione licèt duûm nominum unus ac ſolus ſit.* Ex quo evidenter apparet, verbis *Non ſit ex unione* ſingularis perſonæ in Deo, hoc eſt Sabellii, hæreſim ab Hilario rejici, qua

Pater & Filius *ſubſiſtens ſubſignificatione* licèt *duûm nominum unus ac ſolus ſit.* Quocirca proximè ſubjicit : *Credamus & dicamus eſſe unam ſubſtantiam ; ſed per naturæ proprietatem, non ad ſignificationem impiæ unionis.* Re ipſa Patri & Filio una ſubſtantia eſt per naturæ proprietatem ; quia cùm naturæ divinæ, utpote ſimpliciſſimæ ac perfectiſſimæ, id proprium ſit, ut nec dividi poſſit nec multiplicari, in Patre & Filio una & indiviſa ſit neceſſe eſt. Sed cùm Pater & Filius relativè opponantur, ita una credi debet eorum ſubſtantia, ut & ſimul excludatur unio ſingularitaſque perſonæ.

Ibid.

Apud Hilar. Fragm. XI. *n.* 2.

Hilario concinunt epiſcopi Gallicani in concilio Pariſienſi congregati, dum hanc fidei confeſſionem emittunt : „ Homouſion ſermonem ad veram & legitimam ex Deo Patre unigeniti Dei nativitatem ſumus complexi, deteſtantes ſecundùm Sabellii blaſphemias ipſam unionem, neque aliquam partem Patris eſſe Filium intelligentes. Quo intellectu unionem deteſtentur, primis hiſce verbis ſatis apertè declarant, quatenus ſcilicet Sabellii blaſphemiæ hac voce exprimuntur. Tum iis quæ ſubdunt, *neque aliquam partem Patris eſſe Filium intelligentes,*

ita ſe unam Patris & Filii ſubſtantiam credere ſignificant, ut hanc in utroque intelligant indiviſam, adeoque numeri expertem.

Neque his adverſatur quod paucis interjectis adjungunt: Similitudinem « quoque ejus ad Deum Patrem non « inviti audientes, ſed eam ſolam ſimi- « litudinem dignam ad Patrem intel- « ligentes, quæ veri Dei ſit ad Deum « verum; ita ut non unio divinitatis, « ſed unitas intelligatur. Ibi enim vox « *divinitatis* non naturam ſolam excluſis perſonis, ſed divinam naturam cum perſonis ſonat: ac perinde eſt illud, *ita ut non unio divinitatis, ſed unitas intelligatur*, atque hoc, ita ut in divinitate ſeu in Deo non unio (perſonæ,) ſed unitas (naturæ) intelligatur. Rectè enim monet Auguſtinus in epiſtola olim 222, nunc 120. ad Conſentium, n. 17. *ut ita credamus unius eſſe ſubſtantiæ Trinitatem, ut ipſa eſſentia non aliud ſit quàm ipſa Trinitas.* Quare cùm divinitas ſeu natura divina abſolutè loquentibus tres complectatur perſonas divinas; *unionem divinitatis* reſpuere nihil eſt aliud, quàm eam hæreſim, quæ perſonas divinas confundit ac diſtinguere neſcit, rejicere.

Hanc autem patrum concilii Pari-

ſienſis interpretationem confirmat ſubjecta ab eis ratio, cur unionem nolint, unitatemque tueantur: *quia*, inquiunt, *unio ſit ſingularis* (ac unici,) *unitas verò ſecundùm nativitatis veritatem plenitudo naſcentis ſit*. Nolunt unionem: quia unio ſit ſingularis perſonæ, nec eſt ſingularis perſona, ubi Pater & Filius. Volunt unitatem: quia Filius naſcendo plenitudinem divinitatis accepit, nec poteſt hæc in eo eſſe plenitudo, niſi una & eadem deitas ſit, & quam Pater plenam habet, & quam ipſe plenam accepit: *quia dividi quod plenum eſt non poteſt*, ut eamdem rem approbans loquitur Conſentius apud Auguſtinum epiſt. 119. n. 4.

Quare in eo non fallitur Anonymus, quòd Gallicanos epiſcopos in concilio Pariſienſi cum Hilario in eadem loquendi ratione conſentientes facit: ſed in hoc hallucinatur graviter, quòd illos prædicto in loco, unionem deteſtando, ſingularem naturæ unitatem proſcripſiſſe arbitratur. Æquè apud eos, ut & apud Hilarium *unio*, quomodo & apud Ambroſium, immo & rurſum apud Hilarium alioſque veteres *ſingularitas* ſine adjuncto, ad perſonas attinet. Id docuerant, ac ſatis copiosè probaverant noviſſimo-

rum Hilarii editorum commentarii, quorum veritatem ſi omni præoccupatæ mentis ſtudio poſito expendiſſet Anonymus, haud dubiè à vanis falſiſque commentis abſtinuiſſet.

In hoc etiam epiſcopi Pariſiis congregati cum Hilarii eloquio congruunt, quòd *eam ſolam ſimilitudinem* Filii ad Patrem non inviti accipiunt, *quæ veri Dei ſit ad Deum verum; ita ut non unio divinitatis, ſed unitas intelligatur*, hoc eſt, ut Filius idcirco tantùm eſſentiâ ſimilis cum Patre dicatur, quò removeatur opinio ſingularis perſonæ, non quò unitas ſingularis ſubſtantiæ non teneatur.

Iis præiverat Hilarius in libro de Synodis ad ipſos epiſcopos Gallicanos non ita pridem ante concilium Pariſienſe deſtinato num. 91. ita conteſtatus: Teſtor Deum cæli atque terræ, me, cùm neutrum audiſſem, ſemper tamen utrumque ſenſiſſe, quòd per homouſion homœuſion oporteret intelligi: id eſt, nihil ſimile ſibi ſecundùm naturam eſſe poſſe, niſi quod eſſet ex eadem natura. Quem locum in Reſponſis apologeticis, quæ noviſſimi operum illius editores è manuſcriptis eruerunt, & ex quibus magna prædicto libro lux affulget, ſic ipſe

„ illuſtrat : Numquid videor quod ne-
„ ſcivi probare potuiſſe ? Non utique.
„ Sed quia fides catholica non debeat
„ niſi per unitatem ſimilitudinem cre-
„ dere ; ut ſimilitudinem tantùm ad
„ excludendam unionem commemo-
„ ret, non ad diſſcidium unitatis : idcir-
„ co me dixi, cùm nomina homouſii
„ atque homœuſii neſciſſem, tamen per
„ unitatem ſimilitudinem recepiſſe.
Tantùm igitur recipit Hilarius ſimilitudinem *ad excludendam unionem, non ad diſſcidium unitatis*, hoc eſt ad excludendam eam hæreſim, quæ perſonas confundit ac plures negat ; ſed ſalva fide, quæ plures in Deo naturas ſingulares numerari non patitur. Quocirca & in ſeptimo è prædictis Re-
„ ſponſis dixit : Numquid & hîc de ho-
„ mœuſione legentem admonui, non
„ aliter oſtendens ſuſcipi oportere, niſi
„ ad unitatem ſubſtantiæ referretur.
Inſtat & in reſponſo X I. An hîc
„ ſimilem ſubſtantiam aliud patior eſ-
„ ſe, niſi unam ? quæ ſi non una ſit an-
„ tea confitenda, jam poſtea impiè ſit
„ ſimilis prædicanda. Hæc igitur conſtanter tenenda eſt regula, ut quoties Hilarius Patrem & Filium ſimiles, æquales aut pares prædicat, his tantùm utatur vocabulis *ad excludendam*

unionem, non ad diſſcidium unitatis, hoc eſt ad diſcretionem perſonarum, non ad diſcretionem naturarum, ita ut diſtinctis ſemel perſonis, omnia in iis unum ſint.

Hinc refellitur Anonymi falſa interpretatio, qua unitatem quamdam, quæ ſingularem naturæ unitatem excludat, ab Hilario prædicari, atque apud eum non ſimilitudinem ad unitatem ſubſtantiæ, ſed unitatem ad ſimilitudinem ſubſtantiæ referri oportere contendit, abuſus his ejus verbis lib. de Synod. n. 67. Unam ſubſtantiam proprietatis ſimilitudinem intelligamus, ut quòd unum ſunt, non ſingularem ſignificet, ſed æquales. Æqualitatem dico, id eſt indifferentiam ſimilitudinis, ut ſimilitudo habeatur æqualitas; æqualitas verò idcirco unum dicatur, quia par ſit; unum autem, in quo par ſignificatur, non ad unicum vendicetur. Sed quid hæc illum juvant? In his quippe id unum cavet catholicus præſul, ne Pater & Filius *unicus* quis & *ſingularis*, hoc eſt ne unica & ſingularis perſona exiſtimentur Quocirca ſtatim concludit: *Una igitur ſubſtantia ſi non perſonam ſubſiſtentem perimat, nec unam ſubſtantiam partitam in duos dividat, religiosè præ*

Pag. 123.

dicabitur. Religioſè igitur prædicatur, ſi una & eadem plena integraque atque indiviſa affirmatur. Contrà impiè prædicatur, ſi per æqualitatem, paritatem aut ſimilitudinem duæ naturæ ſingulares, adeoque duo dii intelligantur. Idcirco ſolam Filii (eadem ratio eſt & de Spiritu-ſancto) cum Patre ſimilitudinem & æqualitatem non impiè credi docet; quia cùm ex ipſo ſit, non aliam ab eo, ſed „ eamdem naturam habet. Sola, inquit „ lib. 7. de Trin. n. 26. ei nativitas Fi„ lii non impiè per ſimilitudinem cre„ ditur æqualis. Nam quidquid extra „ eum eſt, cum contumelia honoratæ „ virtutis æquabitur. Si enim aliquid, „ quod non ex ipſo eſt, reperiri poteſt „ ſimile ei ac virtutis ejuſdem; amiſit „ privilegium Dei ſub conſortio coæ„ qualis; jamque non erit Deus unus, „ à quo indifferens ſit Deus alius. „ Quare, quæſo, amiſit privilegium Dei, ex quo cogitatur alius Deus ſimilis qui non ex ipſo ſit; & non amittit, dum creditur ſimilis Filius qui ex ipſo ſit? Quia nimirum non deſinit tum Deus eſſe unus: non deſinit autem Deus eſſe unus, quia cùm ab ipſo ſit, non eſt ne numero quidem alia, ſed eadem omnino ejus ſubſtantia.

tia. Eadem, inquàm; quia, ut ſæpe dictum, communicari nequit niſi tota, ut pote diviſionis & numeri expers, infinita omnino & perfecta Dei natura; ita ut Tertullianus dicere non dubitet, *Deus, ſi non unus eſt, non eſt.* *Lib. 1. adv. Marcion. c. 3.*

Plura referre ſuperſedeo; nec enim ſpecialem de unitate Dei tractatum tradere ſuſcepi, ſed hoc tantùm confirmare, quod in noviſſima Hilarii editione fuit obſervatum, unionem ſcilicet ab Hilario ad perſonas referri, eumque cùm unionem rejicit, non ſingularitatem naturæ divinæ, ſed ſingularitatem perſonæ rejicere. Ac meo conſilio abunde ſatisfactum puto. Adjunxi, quod & in eadem non eſt diſſimulatum, aliquando *unionem* à nonnullis patribus etiam ad naturam referri, eaque voce apud illos naturam ſingularem ſignificari; ſed tum non rejici ab eis unionem, contrà verò vehementer approbari. Quod & paucis oſtendendum.

Tertullianus lib. de reſurrect. carnis c. 2. ita ipſis etiam hæreticis perſuaſum eſſe putat, inſitam eſſe omnibus unius Dei notitiam, ut hanc obſcurare volentes, numquam ab hac impugnanda incipiant, ſed ab alio fidei articulo, puta à reſurrectione

carnis, *quia duriùs creditur reſurrectio carnis, quàm una divinitas*, ac deinde ad inſinuandum Deorum numerum progrediantur. *Sic*, inquit, *multos irretitos videmus, dum antè de reſurrectione carnis eliduntur, quàm de unione divinitatis elidunt.* Rurſum lib. 1. adverſùs Marcionem primò definit Deum *ſummum magnum*: tum ſumit, *Porrò ſummum magnum unicum ſit neceſſe eſt*: indeque concludit, *Ergo Deus unicus erit.* Quod ubi multis firmavit, adversùs Marcionem duo principia admittentem ſic initio cap. 5. congreditur: *Quæ ratio duo ſumma magna compoſuit? Primò enim exigam, Cur non plura, ſi duo; quando locupletiorem oporteret credi ſubſtantiam divinitatis, ſi competeret ei numerus?* Subinde eumdem urget, oſtenditque eum, qui ſemel unitatem Dei exceſſerit, jam cui Deorum numero ſtet non habere; quod ſic enuntiat: *Quæcumque ratio plura ſumma magna non patitur admitti, eadem nec duo. Quæ potuit duo admittere, eadem potuit & plura: poſt duo enim multitudo* UNIONE *jam exceſſâ.*

Viderit Anonymus, qui peculiaris
Anon. p. 129. ſententiæ ſuæ etiam Tertullianum inter alios patronum recenſet, an hæc, ut & reliqua ab initio hujùs libri, ſint hominis tres ſingulares

naturas in Deo credentis.

Alterum obſervare juvat, *unicum* & *unionem* in Deo, non diverſa fide, ab Hilario reſpui, & à Tertulliano admitti; quia videlicet Hilarius has voces ad perſonas, Tertullianus ad naturam referat. Quamquam ipſe etiam Hilarius in Pſal. 122. n. 7. *unionem Dei* eodem, quo mox Tertullianus, intellectu & tenet & prædicat; ſic enim ibi loquitur: Nobis autem unus « Deus eſt: non tamen per unionem Dei « Domino noſtro Jeſu Chriſto quod « Deus eſt abnegantes; ſed ſequentes « Legem & Prophetas & Evangelia & « Apoſtolos, divinitatis unitatem in « innaſcibili Deo & in unigenito Deo « ſecundùm proprietatem atque naturam cum fide & veritate profitemur. » Nuſquam enim genere plurali nec « Deos neque Dominos ſermo propheticus nuncupavit, ſed unumquemque ſuo ordine. Vides jam « ſynonima eſſe *unionem Dei* & *divinitatis unitatem*, iiſque vocibus eam prædicari unitatem, quæ pluralem numerum non admittat. Quamobrem in noviſſima Hilarii editione, in nota quæ de poteſtate vocis *unio* habetur ad calcem libri 4. de Trin. hæc addenda eſt exceptio.

Unionem ſubſtantiæ pariter ſe tenere profitentur concilii Toletani XVI. anno 693. congregati patres: *Non perſonarum*, inquiunt, *confundimus proprietates, nec unionem ſubſtantiæ ſeparamus.* Quod diſtinctiùs explicantes paulo pòſt ſubdunt: *Sunt quædam quæ in hac ſancta Trinitate indiſcretè oporteat confiteri. In hoc etenim quod ad ſe eſt Pater & Filius & Spiritus-ſanctus*, INDISCRETÈ UNUS DEUS *eſt confitendus: quòd verò ad relativum attinet, diſcretè perſonarum trium eſt prædicanda proprietas.* Breviùs eorum præceſſores in concilio Toletano IV. cap. 1. idipſum dixerant: *In perſonarum diverſitate Trinitatem credentes, in divinitate unitatem credentes, nec perſonas confundimus, nec ſubſtantiam ſeparamus.* Eadem fide Paulinus Aquileienſis lib. adversùs Elipantum dixit: *Unionem namque in eſſentia confitemur: Trinitatem verò in perſonarum diſcretione prædicamus.*

Lab. to. 6. pag. 1232.

Apud Alcuin. pag. 1880.

Alia ſunt Hilarii dicta, quibus abutitur Anonymus ad aliquam pſeudo-ſyſtemati trium in Deo ſubſtantiarum faciendam auctoritatem: ac præſertim favere ſibi putat, quòd vulgò ſanctus ille doctor Patrem ſubſtantiam aut eſſentiam innaſcibilem, Filium ſubſtantiam ſeu eſſentiam aut

naturam genitam nuncupet. Verùm hujuſmodi locutionibus non eſſentiarum aut ſubſtantiarum ſeu naturarum, ſed divinarum dumtaxat perſonarum diſcretionem ſignificari ſuperiùs cap. 19. ſatis oſtendi.

Cetera prætereo, maximè cùm hoc mihi unum propoſuerim, noviſſimam Hilarii editionem à cenſura, quam Anonymus quatuor ejus locis injuſtè inuſſerat, vindicare, ſimulque tenebras, quas eiſdem adſperſerat, diſſipare. Atque huic propoſito, quod ad tres primos locos attinet, cumulatè ſatisfactum exiſtimo: reſtat quartus, minoris quidem momenti, quemque ob materiam, de qua enucleatiùs diſſerere pudor vetat, libebat negligere: ſed & in hoc Anonymi in corrigendis ſeu potiùs depravandis pro libito veterum dictis audacia retundenda viſa eſt. Saltem ad hoc proficiet probabilior hujus loci interpretatio, ut quò impudentiæ procedat hæreſis, cùm ſemel Eccleſiæ fidem habere contemſerit, quiſque perſpiciat.

CAPUT IV.

Locum Hilarii ex libro in Conſtantium eſſe integrum, nec egere Anonymi correctione. Probabilior ejus interpretatio.

HILARIUS quo majorem incuteret Arianæ impietatis horrorem, non duxit tacendum, quod infamis Antiochiæ epiſcopus Eudoxius prædicare non erubuit, quodque ipſe publicè in conventu recitari non ſine ſtupore ac debito gemitu audierat, cùm antea ex memorati pſeudoepiſcopi ore exceptum haberetur. Ita porrò ab eo dictum eſſe commemorabatur. *Erat Deus quod eſt. Pater non erat; quia ne que ei filius. Nam ſi filius, neceſſe eſt ut & femina ſit, & colloquium & ſermocinatio, & conjunctio conjugalis verbi, & blandimentum, & poſtremò ad generandum naturalis machinula.*

Lib. in Conſt. n. 13.

Hoc dictum meritò Anonymus tamquam horrendum profert exemplum abſurditatum atque impietatum, in quas abit mens effrenis, quæ proprio mavult, quàm Eccleſiæ ſtare judicio. Tum illud gallicè reddere

prudenter nolens, auctor eſt ut latinè potiùs apud Hilarium legatur. Sed quid ſibi vult adjunctum illius monitum, ne legatur in editione Benedictina; in ea enim Eudoxii verba mirum in modum perturbata, atque omni intellectu deſtituta eſſe? *Pag. 497.*

Aliquod in hac editione diceres admiſſum eſſe graviſſimum mendum, immo congeriem quamdam mendorum, à quibus immunes eſſent ceteræ: maximè cùm in ſectionis titulo, qualis in fronte libri præmittitur, legeris: *Deffauts de la nouvelle edition de S. Hilaire par les Benedictins.* Ne tamen mendorum excogites multitudinem: unum ille tantùm in tota ſectione reprehendit. Et quaſi Anonymo ſcrupulo fuerit præmiſſus in fronte libri ſuperior titulus in Benedictinos contumelioſus, illum in operis ſui corpore penitus expungit. Neque ita tamen integra eſt ejus pœnitentia, quin quod animo conceperat, approbare aliquatenus nitatur, ac ſub ſectionis finem dicat: *J'ay remarqué ailleurs pag. 113. qu'il y a bien des fautes dans l'edition des Benedictins. Celle-cy eſt grande.* Porro pagina illa 113. in qua omnem prædicti tituli injurioſi confirmationem conſtituit, ea eſt, in qua locum illum

exponere aggreditur, quem capite 2. excuſſimus, hoc eſt in quo quidem omnia à Benedictinis inverſa, & Hilarii dicta abſurdum aut etiam hæreticum in ſenſum detorta eſſe vult, ſed in quo ſalva & integra omnia, ac nihil quidquam ab illis mutatum eſſe conſtitit.

Verùm ut ad locum, qui præ manibus eſt, regrediamur, quid in editione Benedictina offenderit, quod ipſi diſpliceat, rogo. An quòd in ea reſtitutum eſt *colloquium & ſermocinatio & conjunctio*, ubi in aliis circumferebatur *colloquium ſermonis & compunctio?* Minimè gentium. Hanc enim correctionem ultro ipſe approbat, ac niſi eam reperiſſet, nec in mentem veniſſet conjectura illa, quam tanta cum fiducia velut certam proponit. Cùm igitur lectorem ad verba Eudoxii apud Hilarium legenda mittit, atque ab iis in editione Benedictina legendis avocat, quò mittit? Iis enim exceptis, quæ mox expoſui, cum illa ceteræ omnes conſentiunt.

Quæ ſaltem enormis eſt illa depravatio, quæ etiam in noviſſima editione obtinet? Quid in ea deſiderandum? Legendum inquit, *conjunctio conjugalis & blandimentum verbi*, non *con-*

junctio conjugalis verbi & blandimentum. Qua auctoritate ſic legendum? an editionum? Omnes, ut dixi, in hoc verborum ordine cum Benedictina conſentiunt,& nullam ab hac aliam ſe legiſſe ipſe ſatis indicat. An codicum manuſcriptorum? Qui ne editionem quidem alteram à Benedictina conſuluit, quis eum veteres codices manu exaratos recognoviſſe ſibi in animum inducat? Certè ſi quos adhibuiſſet, neque id tacuiſſet. Contrà Benedictini editionem ſuam non ſolùm ad præcedentes exegerunt, ſed & ad plures, eoſque probæ notæ manuſcriptos, ex quibus innumera hujus libri menda emacularunt, ac novam toti libro formam ſpeciemque reddiderunt. Inter hos, venerandæ antiquitatis eſt liber Romæ in archivo baſilicæ S. Petri aſſervatus,qui anno Chriſti 510. collatus notatur. Neque tamen in hoc, neque in ullis aliis occurrit lectio, quam Anonymus præferendam contendit. Et ubi nulla ſuccurrit auctoritas, ſi cuique pro arbitrio patrum verba ſic mutare aut invertere liceret, quæ eorum ſcriptis fides haberetur?

Neque verò tantùm Anonymum deficit auctoritas, ſed nec ulla adeſt

opinionis illius ratio probabilis. Non enim facilè probaverit, lectionem quæ obtinet, mendoſam eſſe. Menda enim, ut in prima parte obſervatum, in libros irrepere ſolent aut librariorum lapſu, aut operâ ſtudioſorum virorum, qui non ſatis docti aut circumſpecti errores inſerunt proprios, dum corrigere ſe putant alienos. Ac librarios quidem pariter obſervatum eſt vel ſimilitudine characterum, vel ſohorum cognatione ſolere decipi, prout propriis oculis exſcribunt archetypa, aut eorum verba ex ore dictantis excipiunt; vel etiam nonnulla per oſcitantiam omittere, & alia ob orthographiæ imperitiam depravata exhibere: prædictos autem ſtudioſos viros numquam in perſpicuis locis operam ſuam interponere, & pro ſententia, cujus conſtructio & intelligentia facilis, numquam ſubſtituere obſcuriorem. Non eſt igitur unde aut librariorum lapſu aut operâ ſtudioſorum putemus factum, ut *conjunctio conjugalis verbi & blandimentum*, loco verborum, *conjunctio conjugalis, & blandimentum verbi*, obtinuerit: cùm hæc poſterior lectio ſententiam efferat per ſe intellectu faciliorem, quàm prima; &, hanc nulla aut characte-

rum aut ſonorum affinitas, nulla librariorum vel oſcitantia vel imperitia inducere potuerit.

Præterea quid ſibi volet *blandimentum verbi?* Nihil aliud ſecundùm Anonymi ipſius interpretationem, quàm quod proximè antè, *colloquium & ſermocinatio.* Quorſum ergo hæc inanis repetitio?

At hæc verba, *conjunctio conjugalis verbi*, omni deſtituuntur intellectu. Etiamſi hoc daretur; nonne præſtat intellectus nullus, quàm falſus? Neque culpandus eſt, qui veterum dicta prout ea in archetypis invenit, fideliter repræſentat, quamvis intellectu non facilia. At qui ea eo obtentu mutat, ut commodiorem eorum faciat intellectum, tanto majori dignus eſt reprehenſione, quanto ſe graviori exponit periculo, ne pro veterum ſenſibus, proprios ſubminiſtret.

Sed neque Anonymo largiendum, non eſſe unde prædicta verba prorſus intelligantur. Commodus is ſe ſe offert intellectus, ut Eudoxius noſtram de æterna Dei generatione fidem irridens, atque argumentis à carneis rebus petitis carneus homo impiè ſugillans, id etiam objecerit, verum in Deo ac legitimum filium

credi non poſſe, niſi ſimul & credatur præceſſiſſe conjugium, quod verbis, quibus ſponſus ac ſponſa mutuam ſibi fidem pollicentur, vulgò contrahi nemo ignorat. Atque hanc verborum, *Neceſſe eſt conjunctio ſit conjugalis verbi*, veram eſſe ac genuinam intelligentiam nemo, ut ſpero, inficias ierit, qui antiquum Tractatûs contra quinque hæreſes auctorem apud Auguſtinum in appendice tomi 8. audierit ſic Paganum alloquentem: *Quid dicis Pagane? Deus, inquis, ſi delectatus eſt filio, indiguit conjugio: ſi horruit conjugium, ſolus eſt ſine filio.* Sanè cum reliqua pſeudoepiſcopi ratiocinatione apprime cohæret, qui à me modò ſuggeritur verborum ejus, *conjunctio conjugalis verbi*, intellectus.

Si qua verò in tota illius ratiocinatione obſcuritas, non in mox dictis verbis ſita eſt, ſed in præcedentibus, *colloquium & ſermocinatio.* Quî enim illud conſequens; maximè in ore Eudoxii, qui apud Anonymum Ariſtotelicæ dialecticæ peritiſſimus audit, ut *ſi filius, neceſſe ſit & colloquium & ſermocinatio ſit?* Fallor, ſi non in his *colloquium & ſermocinatio* lateat alius à vulgari intellectus.

Is autem ut eruatur ac pateat, recolendum eſt Eudoxium hominem

græcum Antiochiæ publicè concionantem græcè locutum eſſe. Et his quidem duobus vocabulis aptè reſpondet una græca vox ὁμιλία. Apud Grammaticos verò conſtat, duplicem eſſe hujus vocis poteſtatem, communem aliam & vulgarem, qua pro colloquio & ſermocinatione ſumitur; aliam ſpecialem, qua pro conſuetudine mariti cum uxore uſurpatur. Hoc intellectu familiaris eſt etiam ſcriptoribus eccleſiaſticis; uti videre eſt apud Chryſoſtomum in primam Pauli ad Corinthios epiſtolam homil. 19. Idem doctor in eamdem epiſtolam homil. 22. caſtum Joſeph ad dominam, ipſius libidine æſtuantem, ſic loquentem inducit, αἰσχύνθητι τὴν πρὸς δοῦλον ὁμιλίαν, *Pudeat te commiſceri cum mancipio.* Ita & in homiliis 36. & 37. conjugalem uſum aut etiam fornicationem τὴν πρὸς γυναῖκα ὁμιλίαν, aut ſimpliciter ὁμιλίαν vocitat. Aliàs monens ne viduarum ſanctitatem in unis ſecundis nuptiis abnegandis ſitam putent, hoc ita enuntiat, τὸ μὴ δευτέροις ὁμιλῆσαι γάμοις. Plures de ſpeciali hujus vocis poteſtate congerere auctoritates ſupervacaneum foret.

Quod autem Auguſtinus quæſtionibus in Exodum quæſt. 78. n. 3. ob-

ſervat, ad rem noſtram accommodatius eſt, quàm ut hîc omittere liceat. Notat ſæpe in Scripturis *concubitum* & *concumbere* latinè per voces *converſatio*, *loqui*, & *colloqui*, græcè autem per τὸ ὁμιλεῖν aut ὁμιλία exprimi. Sic Danielis 13. 54. & 58. græcè exſtat εἶπον ὑπὸ τί δένδρον εἶδες αὐτοὺς ὁμιλοῦντας ἀλλήλοις, & latinè, *Dic ſub qua arbore videris colloquentes ſibi*; cùm orationis contextus poſtulet *videris concumbentes*, ut interrogatio ſenum congruat eorum accuſationi, qua de Suſanna dixerant, *Venitque ad eam adoleſcens, & concubuit cum ea.* Idem dicendum & de his ejuſdem
Dan. 13. 17. Prophetæ verbis: *Sic faciebatis filiabus Iſrael, & illæ loquebantur vobiſcum*, græcè ὡμίλουν ὑμῖν. Planum eſt enim Danielem impudicis illis ſenibus exprobrare, quòd non Suſannam ſolam ſollicitarint, ſed hæc ſola eâ animi magnitudine & audaciâ fuerit, quæ infami eorum libidini non timuerit reſiſtere, cùm eis ſe aliæ turpiter proſtituerent: *Et illæ loquebantur vobiſcum.* His & addit Auguſtinus alium locum Exodi 21. 11. ubi ſecundùm Vulgatam illius temporis *converſationem*, ſecundùm noſtram *pretium pudicitiæ*, græcè ὁμιλίαν legere eſt. Et ubi obſervavit ὁμιλίαν idem eſſe ac *locutionem*, ſubdit: *Quo nomine in-*

telligitur Scriptura honeſtiùs appellare concubitum.

Sive igitur antiquum Scripturæ interpretem imitatus ſit Hilarius, atque honeſtatis gratiâ *ὁμιλίαι converſationis & colloquii*, quàm *concubitûs* vocabulo reddere maluerit, ſive propriam mox dictæ vocis græcæ poteſtatem non ſatis calluerit; valde probabile eſt hanc ab Eudoxio, prout concubitum ſonat, fuiſſe adhibitam. Quod ſi ita eſt, ruit prorſus Anonymi tantopere venditata conjectura, ut quæ repetitionem inutilem ac meram tautologiam inducat. Sic verò Eudoxii, veriùs Adoxii, verba commodè intelligere eſt, *Nam ſi filius, neceſſe eſt ut & femina ſit, & colloquium & ſermocinatio* (hoc eſt concubitus,) *& conjunctio conjugalis verbi* (hoc eſt conjugium verbo mutuo data fide contractum) *& blandimentum* &c. loquitur enim ordine præpoſtero.

Pudet ac tædet in cœnoſo hujuſmodi loco diutius hærere. Sed hinc interim deterſa emergit noviſſima Hilarii editio, & à maculis, quibus eam adſpergere Anonymus conatus eſt, penitus eluta. Illum ſi audias, mendis ſcatet: ſi rei conſulas veritatem, menda quæ illi affingit, merè ſunt ima-

ginaria. Quatuor tantùm locos reprehendit: expenſiſque ſingulis, nihil in his apparuit, quod non ſummopere ſit approbandum. In primo quidem ac ſecundo nullum reprehenſioni locum patuiſſe deprehendimus, cùm in utroque nihil hac in editione ſit mutatum. Contrà Anonymus primum adulteraſſe, ac ſecundum nullatenus intellexiſſe, eumque commentis ab Hilarii mente mirum in modum alienis fœdaſſe ac deformaſſe convictus eſt. Diſplicuerat ei tertio loco vocis *unio* explicatio ipſis Hilarii verbis accommodata: ſed cùm aliam ei voluit ſubſtituere, quàm in tanti doctoris locutionibus, ut & in ipſius fide, peregrinus ſit oſtendit. Demum in quarto mendum vocat, quod ſumma fide expreſſum. Propria auctoritate mutari atque inverti vult, quod nulla ratione liquet malè poſitum. Quod non aſſequitur, omnis intellectûs expers putat: & quod intellectûs expers arbitratur, penitus enucleatum veriorem ac probabiliorem, quàm quæ ab eo ſuggeritur, ſententiam exhibere reperitur.

CONCLUSIO

Totius Operis.

SI libenter ac placidè audiendi ſint, qui uno veritatis ſtudio cum omni benevolentia, caritate & modeſtia reprehendunt quod ſcribentibus humano errore ſæpius obrepit; incommodi ſanè ac valde importuni ſunt, qui aut ea carpunt, quæ nulla ſunt reprehenſione digna, aut ea etiam ſcriptoribus affingunt errata vel cogitata, quæ numquam admiſerunt. His aſſiduè reſpondere, magnum eſt temporis diſpendium. Si verò iniqua eorum cenſura ſine juſta refutatione ſinatur excurrere, maximè quando certa cum fiducia & cum quadam aut eruditionis, aut verborum pompa loquuntur, quemadmodum faciunt cenſores quos refutandos ſuſcepi; magnopere timendum eſt, ne apud eos, quibus quod rei eſt diligenter examinare aut non vacat aut non lubet, cum veritatis damno fidem ſibi faciant. Quæ me cauſa permovit, ut quantumvis averſo ab omni contentione animo, hoſce rudes com-

mentarios, quos & cuivis peritiori manui expoliendos & caſtigandos tradere peroptabam, in lucem edere ne refugerem amplius vel differrem. Ignoſcant mihi quos in eis refellere aggreſſus ſum, ſi quid vel invito paulò durius adversùs eos exciderit: & quidquid in his diſputationibus ſcripſi, id mihi, ut ſecundùm Auguſtinum loquar, non nocendi voluntate, ſed officio ac neceſſitate conſulendi extortum certò ſciant.

Lib. 19. de civ. Dei c. 6. & 14.

FINIS.

INDEX
RERUM.

A

Acacii Meliteni epiſcopi locutio de Verbi incarnatione. 184
Adoptandi, verbum apud Hilarium nil Felicem juvare poteſt. 84. 89. *Adoptatur* convenientiùs quàm *aſſumitur* carnis humilitas ab Hilario eſt dictum. 73. Adoptandi verbo quæ ſit vis ac poteſtas. 69. Adoptio corporis, pro aſſumtione corporis. 70. 78. 83. Adoptionis vocabulum Miſſalis Mozarabici editores reddunt voce aſſumtionis. 83
Adoptivus homo Chriſtus quomodo rectè intelligatur. 78. Adoptivum & ſuſceptum confudit Elipantus. 81
Adorantur in Chriſto cunarum ſordes. 88
Afri codices in Eccleſiaſtici libro olim non habebant, *Et iterum tangit illum.* 50
Alcuinus ſanctos præſules hæreſis præcipitanter damnat. 79. tria Felici exprobrat. 86
Aliter in ora mſſ quid ſignificet. 12
Amerbachii opera in editione Auguſtini quatenus laudanda. 37
Anonymus Dei eſſentiam tantùm ſpecie unam, & numero diſtinctam aſſerit. 240. nullam falſitatem aut internum virus eſſe in his, *Tres ſunt dii*, adſtruxit. 240 affirmat antiquos nullam aliam inter Patrem & Filium agnoviſ-

ſe niſi ſpeciei unitatem. 264. tres numero naturas perſonis divinis attribuit. 269. aliàs unam individuam in eis naturam ponit. *Ibid.* Ratio hujus unitatis ab eo allata numquam patitur numerum naturarum. 269. Falſat Hilarii locum, & à Benedictinis falſatum dicit. 244. In referendis Hilarii verbis quantum peccet contra fidem. 253. 254. Locum, quem Benedictinis incompertum dicit, non intellexiſſe convincitur. 257. Arianos & Sabellianos in unum conſpirantes facit, 253. malè. 257. Locum Deuteronomii & alium Iſaiæ confundens, in multis hallucinatur. 259. *& ſeq.* Multa videt ac reprehendit in Hilarii editione quæ ibi non exſtant. 271. Falſa unionis interpretatione tria aſſerere videtur à vero prorſus aliena. 278. Sabellianos vocitat Catholicos unam numero naturam in Deo credentes. 279. Locus quo vult Hilarium à Deo ut perſonæ, ita & naturæ unionem excluſiſſe, ei eripitur. 280. Eripitur & locus concilii Pariſienſis. 283. Conjectura ejus in Hilarii locum non probanda. 303

Ariani & Sabelliani velut in unum conſpirantes ab Anonymo poſiti, 253. malè. 257. Ariani ex Deuteronomio ſolum Patrem eſſe Deum contendebant, & ex Iſaia refutabantur. 258. Deo Patri attribuunt quidquid Scripturæ ſimpliciter de Deo docent. 171. dicuntur ex Evangelio eraſiſſe *Quia Deus ſpiritus eſt.* 46. probantur ipſi hoc teſtimonio uſi eſſe. 51

S. Anſcharius. 204

Auguſtini regula de Scriptorum auctoritate, 65. de locis ambiguis interpretandis, 136. 177. de vocibus non rectè ſonantibus recto intellectu prolatis, 115. de iis quæ in Deo ſingulari numero debeant efferri, 132. 174. qui Filius *nata ſapientia*, & cum Patre una ſa-

pientia intelligatur. 166. Auguſtinus revocat quod Donatum furem divini eloquii dixiſſet. 50
Auguſtini non eſſe librum contra quinque hoſtium genera. 203. Hic liber in nova editione ad plures codices recognitus. 196. Illum falſatum Hincmarus in Sueſſionenſi concilio declarat, 133. falsâ verborum *trina deitas* interpretatione pro certo poſitâ. 149. Ex ipſo loco, quem falſatum pronuntiavit, deſumta eſt antiphona ad officium. S. Trinitatis. 199. Hæc antiphona ſubinde mutata, jam minùs concinna eſt. *Ibid.*
Auguſtini editiones antiquæ quatenus ad plures veteres codices exactæ. 36. Cum noviſſimis Auguſtini editoribus Germonius duo expoſtulat. 194. Quid illi ſibi præſtandum duxerint in operibus extraneis. 201

B.

BADII editio Hilariana ex codice ſequioris notæ expreſſa. 67
Baptizandos eſſe pueros, quos in captivitatem abductos, nemo teſtari poteſt baptizatos. 141
Beda aliquando adulterina opera Auguſtino attribuit. 203
Benedictini præjudicatas Scholaſticæ opiniones ſectari arguuntur. 267. quàm temere. 270. falsò accuſantur Hilarium falſaſſe, 244. aut pervertiſſe. 256
Boetii locus adversùs trinæ deitatis prædicationem perperam oppoſitus. 176
Bourgoini Auguſtiniana editio. 41

C.

CÆLESTINORUM Breviarium laudatur. 200
Carolus rex Ratramno jubet ut ex ſanctorum libris capitula ſibi colligat de prædeſtinatione. 212. intereſt concilio Sueſſionenſi. 126
Chriſtus verus Deus probatur. 258. unus cum Patre Deus. 265. Chriſti cunæ adorantur. 88
Codices quo fere ſæculo ſcripti ſint, inſpectus character expertos docet. 216. Falſatos non arguunt variæ lituræ aut emendationes. 223. Codicibus emendandis olim vacarunt viri dignitate præſtantes. 223. *V.* Manuſcripti.
Colbertini codicis Hilarii libros complectentis antiquitas. 66
Complices appellari non debent qui cum Gotheſcalco trinam deitatem dici poſſe contendebant. 101
Concilii VI. locus pro trina deitate. 105. rectè à Gotheſcalco laudatus. 207
Conjecturis ne facilè indulgeant editores. 31
Conſentius unam & trinam virtutem in Deo prædicat. 174
Conſtantini imperatoris edictum citatum. 105. Quomodo illud Hincmarus legi velit. 108. Potior ac verior eſt lectio ejus à Gotheſcalco allata. 109. *& ſeqq.*
Corbeienſe monaſterium à concilio Pariſienſi ann. 846. egregiè laudatur. 204
Corbeienſes codices à Germonio impugnati. 95. quàm vanis rationibus. 204. *& ſeqq.* Ut ſuſpectos eos faciat, quàm multa abſurda ponere cogatur. 217

D.

DEus ſi non unus eſt, non eſt, 288. ſi habet coæqualem qui non ex ipſo ſit, amiſit privilegium Dei. 288. Inter Patrem & Filium admitti poteſt ſimilitudo ad excludendam unionem, non ad diſſcidium unitatis. 286. Una ſubſtantia religioſè prædicabitur, ſi non perſonam ſubſiſtentem perimat, aut ſubſtantiam dividat. 287. Deus Pater, Filius & Spiritus-ſanctus ſimul unum lumen, una ſapientia, &c. 188. Divina eſſentia ne aliud credatur, quàm ipſa Trinitas. 283. Deus unus potentialiter, id eſt ſubſtantialiter, & perſonaliter trinus. 177. In Deo quomodo diſtinguendum quid relativè, quid eſſentialiter dicatur. 187. Dii aut eſſentiæ divinæ non ſunt plures. 188. Dei natura ubi una eſt ſpecie, numero etiam una eſt. 244. ut numquam non infinita, ita non poteſt eſſe niſi una. 269. Hinc non eſt locus ſyſtemati trium naturarum. 269. *V.* Anonymus. Deorum trium cultores à Græcis Latiniſque damnati. 179. Deitatem unicuique perſonæ propriam ineſſe. 179. *& ſeqq.* Deitatem Patris & Spiritus-ſancti unà cum Verbo carnem ſumſiſſe impium eſt dicere. 184. Divinitas genita, ſeu unigenita 181. *V.* Trinitas, Unio.

Diploma ab Hincmaro factum ex occaſione libri contra. 5. hoſtium genera. 136

Donatus Scripturæ locum expunxiſſe ab Hincmaro dicitur. 45. ab hac nequitia ab Auguſtino purgatur. 50

E.

ECclesiastici locus truncatus. 50

Editorum codicum auctoritas quibus con-

ditionibus præponderare debeat lectioni manuſcriptorum. 28. Editiones non ſemper plures repræſentare teſtes. 34. Edita opera ex unico exemplari rarò ſunt omnibus numeris abſoluta. 15. Editores alicujus operis celare non debent quo ex codice illud expreſſerint. 7. Editos libros ad ſcriptos recognoſcentes, de republica bene merentur. 8. Editionem antiquorum paranti quid præſtandum. 14. 18

Elipantus adoptivum & ſuſceptum confudit. 81. 82. Auguſtini verba interpolat. 82. ignorantiam ſuam patefacit, epiſtolam Auguſtini ſibi prorſus contrariam laudando. 82. indiſcriminatim locos citat, in quibus adoptionis vocabulum reperit. 90

Eraſmi opera in editione Auguſtini. 40

Eudoxii blaſphemia. 294

Eugenius Toletanus antiſtes. 72

F.

FALSANTIS opus dici non debet quidquid in manuſcriptis inſertum aut ſuperſcriptum legitur. 13. An Donatus & alii ab Hincmaro memorati libros falſarint. 45. 224

Felicis III. papæ locus reſtitutus. 22

Felix Urgel. duos filios duoſque deos in Chriſto prædicat. 83. 89. locum Hilarii citat hæreſi ſuæ exitioſum. 89. Hunc ab eo corruptum eſſe nullatenus eſt probabile. 83. Felici tria Alcuinus exprobrat. 86

Flori Sermonis duo exempla, quamvis diſcrepent, facilè intelliguntur ambo ſincera. 229

Fontanini obſervatio circa emendatores codicum. 223

G.

GERMONIUS manuſcriptorum fidem dum adſtruere videtur deſtruit. 4. Germonii ſententia de manuſcriptis ſervandis aut negligendis, 26. lex de editionum correctione, 27. ſententia qua editiones manuſcriptis præfert. 28. Germonius Hincmarum nullo examine ſequens aberrat. 45. non legit quæ citat, aut diſſimulat quæ in eis ſibi non favent. 37. 41. auctoris ſui verba aut mutat, aut reticet. 108. 145. 146. 159. 222. etiam cùm propria ſe referre ſignificat. 221. in his quædam obſervat quæ in iis non habentur. 57. Hincmari ſuſpiciones velut certas aſſertiones accipit. 107. 228. Gotheſcalcum ante Ratramnum pro trina deitate ſcripſiſſe falsò ponit. 121. teſtimonium Hincmari adversùs illos faciliùs admittit. 97. illorum fidem in conflictu pro trina deitate temere accuſat. 99. Gotheſcalci pro defenſione trinæ deitatis ſocios *complices* appellare iniquè affectat. 101. quàm iniquè Gotheſcalco, Ratramno & ſociis affingat audaciſſimam perfidiam in falſandis & truncandis priſcis auctoribus, 97. *& ſeqq.* 102. 123. 231. & impudentiam in adulterandis viventium libris. 220. 231. falsò aſſerit Gotheſcalci patronos convictos fuiſſe intruſæ per fraudem Auguſtini ſententiæ. 214. quo ſophiſmate eos criminis hujus reos faciat. 161. à triplici temeritatis nota ægre ſe eximere valeat. 166. quàm multa intra unam paginulam ac dimidiam peccet. 118. *& ſeq.* Ratramnum in citandis aut exſcribendis priſcis auctoribus famæ non ſatis integræ de ſuo facit. 211. temere definit exemplar Sermonis Flori falſatum à

Gotheſcalci aſſeclis. 228. juſtam præbet dictis ſuis diffidendi cauſam. 113. quantâ probationum penuriâ laboret. 139. Auguſtino tribuere non ceſſat librum, quem illius non eſſe demonſtratum eſt. 139. Germonii obſervatio, qua hæreſim in ſententia orthodoxa notat. 230. Illius diſputationes religioni exitioſæ. 237. *Indicem capitum recenſe.*

Gotheſcalcus poſt Ratramnum de trina deitate ſcripſit. 121. in hac concertatione cum Hincmaro bona fide agit. 99. trinæ deitatis dicendæ uſum juſtè defendit. 98. tantùm ſemel Hincmaro in ſuſpicionem falſati libri venit. 103. Falſa fuit hæc ſuſpicio. 106. Gotheſcalci fidem in citato Conſtantini edicto confirmant ejus exempla omnia. 110. latina ut græca. 114. Gotheſcalci hæreſim in quo Hincmarus ponat. 130. Gotheſcalci de Trinitate fides plana & ſana. 178. Gotheſcalci amicis nullam Hincmarus in falſandis auctoribus licentiam objectat. 122. Illis perfidiæ in falſandis libris vitium familiare non fuiſſe probat Hincmari ſilentium. 219. Crimina iiſdem à Germonio oblata. *V.* Germonius.

Gregorius Nazianzenus trinam unitatem in Deo prædicat. 173

H.

HIERONYMI locus expenditur. 23. Ejus querela ex occaſione vocis *hypoſtaſis*. 275

Hilarii dictio attentum poſtulat lectorem. 68. Hilarii regula de optimo lectore. 212. Hilarii locus in antiquis editionibus mutilus. 141. Hilarii locus contra Germonium vindicatur. 63. Quatuor alii contra Anonymum. 242. Loci in quibus Chriſtum filium adoptivum negat. 92. Hilarius æquè Chriſti diviſores, atque adoptionis aſſertores debellat.

94. unam numero naturam in Deo credidit. 279. rejicit unionem perſonæ in Deo, 276. & admittit unionem naturæ. 290. Quid ſibi velit quod ait, *Non ſit una ſubſtantia ex unione*. 280

Hildemannus Bellovacenſis epiſcopus. 205

Hildephonſus Toletanus antiſtes. 79

Hincmarus linguam græcam non intelligebat. 110. Hincmarus locos patrum ſibi incommodos falſitatis facilè accuſat. 104. Illum naturâ ſuſpicioſum arguit hæc facilitas. 218. Hincmari auctoritati non eſt plus æquo dandum. 84. Locus de iis à quibus Patrum aut Scripturarum locos falſatos aut truncatos memorat, 45. 224. non eſt accuratus. 49. Hincmarus ſibi non conſtat. 91. 158. 225. nec cum geſtis concordat. 226. deitatem trinam catholicè dici poſſe negat, 97. contra uſum Eccleſiæ. 98. novitatem inducit in hymnum Eccleſiæ. 169. blaſphemum & hæreticum vocat Gotheſcalcum, quia deitatem *perſonaliter trinam* dicebat. 102. Hincmarum inter & Gotheſcalcum ac Ratramnum controverſiæ ſtatus. 128. Hincmari fides in hac concertatione deſideratur. 99. 169. Illius anguſtiæ. 190. 191. Hincmari adversùs Gotheſcalcum & Ratramnum teſtimonium cur non admittendum. 97. 197. Hincmarus Auguſtini regulâ de eo quod plurali numero de Deo dici nequeat, abutitur. 174. Auguſtini verba interpolat. 58. librum à Gotheſcalco falſatum perperam ſuſpicatur. 106. lectioni Gotheſcalci conjecturam opponit nulla ratione fultam. 115. Hincmarus nuſquam Gotheſcalci ſociis in falſandis priſcis auctoribus perfidiam attribuit. 203. nequidquam vitio vertit Ratramno quòd ſcripta patrum truncarit, aut ad ſenſum ſuum inflexerit? 126. 127. trinam deitatem ne-

gando, peccat contra grammaticam, 176. contra dialecticam, ſanam Theologiam & æquitatem. 177. 178. Hincmari judicium, quo librum contra quinque hoſtes falſatum pronuntiavit. 132. unde irritum ſit. 138. Quatenus in hoc libro ſe deprehendiſſe dicat ſacrilegium falſitatis. 135. 153. 157. Hincmari liber de prædeſtinatione variis cum lituris in lucem editus. 220. Quæ præcipua cauſa precis quam in fronte illius præmittit. 221. 223. In Hincmari I. tomum Index vitioſus. 164

Hiſpana eccleſia hæreſis inſimulata, ab ea vindicatur. 79. & ſeq. Hiſpanorum Officiorum auctores Eugenius, Hildephonſus, Julianus. 79. haud ſatis prudenter culpantur ut hæretici manifeſti. *Ibid.*

Homœuſion quatenus admittere liceat. 285. *V.* Similitudo.

Homouſion quos ſenſus patiatur hæreticos. 280

Hymnus unicus ſolius deitatis invocatione per Hincmari emendationem clauditur. 169. Ceteri, excepto uno, per invocationem aut laudem S. Trinitatis deſinunt. 170. In hymno Martyrum plures eccleſiæ retinuerunt aut revocarunt *Te trina deitas.* 170

I.

INCARNATIO. Trinitas tota operata eſt Chriſti carnem. 184. Humanitatem non aſſumſit tota Trinitas, ſed ſola Filii deitas. 179. 183. Carnis aſſumtionem Patris natura non ſenſit. 182. Natura genita naturam noſtram ſine peccato ſuſcepit. 249. Verbum caro factum eſt propriè perſonaliter. 184

Incuma. 23

Inferi aliquid in libro tripliciter intelligitur. 159

Interpolationes quo ſubſidio caſtigandæ. 24

Interpolationum exempla ex epiſtola Elipanti, 57. 82. ex libris Hincmari. 58
Johannis in epiſtola 1. locus mutilatus. 46. 55. Unde 7. verſus cap. 5. exciderit. 144. Capitis 4. ejuſdem epiſtolæ verſus 4. in quibuſdam exemplaribus deeſt. 144. Hujus ſuppreſſio hæreticis, qui divinam naturam in Chriſto ab humana ſeparabant, attributa. 144. 145. 146. Verſum hunc ignoravit Neſtorius. 146
Julianus Toletanus antiſtes. 79

L.

Lector optimus quis. 212
Leonis locus apud Gratianum mutilus. 141. Idem ille locus emendatur. 143
Librariis uſitatum eſt, ubi idem verbum repetitur, ad poſtremum relictis intermediis tranſire. 140. *Vide* Manuſcripti.
Lipſii conjecturæ ineptæ. 32. 33
Loci emendati, Elipanti, 82. Felicis III. papæ, 22. Leonis, 143. Vegetii. 24
Locutionis alioque ſimili nomine intelligitur Scriptura honeſtiùs appellare concubitum. 302. 303

M.

Macarius epiſcopus Antiochenus in VI. ſynodo patrum teſtimonia truncaſſe deprehenſus eſt. 45. 57
Manere ex Deo Hilariana eſt locutio. 245. quod perinde eſt atque exſtare ex Deo. 247. Cur hac locutione utatur Hilarius. *Ibid.* Manens Verbum dicere etiam Auguſtinus affectat. 248
Manare de æterna Verbi generatione diceret vitat Hilarius. 247
Manuſcriptorum fide vacillante, vacillat om-

nis ſcientia. 3. religio periclitatur. 238. Eo-
rum fidem dum adſtruere videtur Germo-
nius deſtruit. 4. Manuſcripti in pretio eſſe, &
aſſervari debent, etiamſi excuſum ſit quod
continent. 7. Ne lateat ubi aſſervantur, re-
fert. 8. Quatenus non ſine cautione recipien-
di. 44. Veterum dicta illis refragantibus mu-
tare periculoſum. 297. 299. V. Conjectura.
Manuſcriptorum menda. 9. 298. Quædam
eorum ſinceritatem dignoſcendi nota. 19.
249. Quod in iis inſertum aut ſuperſcri-
ptum legitur, falſantis opus dici non debet.
13. 223. Manuſcriptos codices aliquando an-
tiqui ad alios recognoſcebant. 11. 36. Iis emen-
dandis vacarunt viri dignitate præſtantes.
223. Marginales notæ ſæpe in textum tranſ-
latæ. 10. 140. Non præferatur ſtatim lectio
quæ primò nitidior apparet, ſi abeſt ab anti-
quioribus libris. 20. Manuſcripti in poſte-
rioribus ſæculis à vulgaribus mendis puriores.
17. Antiquiorum quædam deformitas ma-
gis placere debet. 76. Non ea ſemper præ-
feratur lectio, cui plures ſuffragantur manu-
ſcripti, 21. 35. præſertim vicinorum loco-
rum. 15. 147. 148. In ora veterum codicum
littera R aut vocabulum *aliter* quid ſigni-
ficent. 12. Aliud eſt unde quis liber ſit tranſ-
ſcriptus, aliud eos qui ſcripſerint noſſe. 156
Maria unione fecunda. 273
Monaſteriis injurioſus locus. 158
Mozarabicum Miſſale quædam habet mutata,
quibus Felix Urgellit. abutebatur. 83

N.

NEo Ravennenſis epiſcopus. 141
Neſtorius à perſonæ excidit unione, 273. à
Socrate dicitur ignoraſſe illud Johannis, *Om-*

nis ſpiritus qui ſolvit Jeſum &c. 145. non eraſiſſe. 146. Acacii adversùs eum querela. 184

O.

ODo Bellovacenſis epiſcopus. 205
Ὁμιλία quid ſpecialiter ſignificet. 301
Omittere plura ſolent librarii, cùm idem verbum non longo intervallo repetitur. 140. 146. De his mendis prudentis editoris eſt nihil plerumque dicere. 201
Orthographiæ imperitia mendorum origo. 10

P.

PARISIENSE I. concilium unitatem Dei adſtruit. 283. ſimilitudinem Filii ad Patrem quatenus admittat. *Ibid. V.* Unio.
Paſchaſius inter præſules ſedit, qui Gotheſcalcum condemnarunt. 214. Gotheſcalci opinionem de prædeſtinatione non probavit. 235. Inter illum & Ratramnum fuere opinionum diſſidia. 234
Patris natura carnis aſſumtionem non ſenſit. 182. ubi Patris *natura* id eſt quod *Pater*. 183. *V.* Trinitas.
Pelagius I. trinam unitatem prædicat. 134
Petrus Aretinus epiſcopus. 107
Petavii ſententia de Hilarii loco. 72
Pluralia intellectu nomina, licèt ſono ſingularia. 175
Præjudicatæ opinionis tyrannis. 212

Q.

QUATERNIONES librum contra quinque hoſtes continentes. 135

R.

R in ora veterum codicum quid ſignificet. 12

Ratramnus ante Gotheſcalcum pro trina deitate ſcripſit. 121. Contumelioſam ei non eſſe de truncatis veterum ſcriptis, & ad ſenſum ſuum detortis accuſationem. 126. & ſeqq. 209. Audaciſſimam in falſandis libris perfidiam ei ab Hincmaro objectari, Germonius perperam aſſerit. 211. In exſcribendis aut citandis priſcis auctoribus famæ non ſatis integræ fuiſſe falsò dicitur. 211. & ſeq. Ratramno nuſquam ab Hincmaro objectum eſt, quòd priſcorum codices falſaſſet. 123. 125. 131. 209. Ratramnus libros de prædeſtinatione aggreſſus eſt Caroli regis juſſu. 212. 235. communi Gallicanorum epiſcoporum mandato ad objecta Græcorum reſpondit. 236

Repetitio ejuſdem vocis, uberrimus fons prætermiſſionum. 146

Ruſtici diaconi opera in recognoſcendis pluribus Calchedonenſis ſynodi exemplaribus. 11

S.

Sabellius circa perſonas, non circa naturam divinam errabat. 276. 278. Catholicis ab Arianis ſolebat affingi ſententia Sabelliana. 279

Sabelliani nuncupabantur *Unionitæ*, & eorum hæreſis *hæreſis unionis*. 274. Hæc refutatur verbis, *Pater major me eſt*. 276. Item iſtis, *Ego & Pater unum ſumus*. 277. Horum verborum Sabelliana interpretatio. 279. 280

Scholaſticæ præjudicatæ opiniones Benedictinis

perperam

perperam exprobrantur. 270

Similitudinem Filii ad Patrem non inviti accipiunt concilii Patiſienſis epiſcopi cum unitate. 283. Similitudinem tantùm admittit Hilarius ad excludendam unionem, non ad diſſcidium unitatis, 286. ita ut ſimilitudo ad unitatem referatur. *Ibid.*

Singularia ſono ſunt quædam nomina, & intellectu pluralia. 175

Singularis & ſingularitas ad perſonas divinas attinet. 274. 276

Socratis locus de ſuppreſſione versûs. 4. è capite 4. Epiſtolæ Johannis. 145

Solitudo & ſolitarius Hilario de Deo loquenti ſingularitatem perſonæ ſonat. 273

Subſtantiæ tres, pro tribus perſonis. 115

Sueſſionenſe concilium. 136. Judicium de exemplari libri contra quinque hoſtes in eo prolatum quare nullum ſit. 138, 149

T.

TEmere facere quid ſit. 162

Tertullianus inſitum omnibus putat, Deum eſſe unum. 289. non admittit tres Dei naturas. 290

Theodorus Mopſueſtenus Scripturas truncaſſe aut falſaſſe à Germonio dicitur. 56

Τριάδικός vox ad uſum eccleſiaſticum inventa. 118

Trinitatis myſterium duæ hæreſes præcipuè impugnant. 172. Impia Ariani & Pagani adversùs æternam Dei generationem argutatio. 294. 300. Trinitatis unicuique perſonæ ſuam ineſſe propriam deitatem. 179. 183. 185. Ex eo quòd perſonæ unicuique ſit propria deitas, non ſequi ut tres ſint deitates. 186. Trinitas humanitatem nequaquam aſſumſit.

X

183. Perſonam intelligi verbis gignentis aut genitæ eſſentiæ. 182. 186. Natura genita naturam noſtram ſuſcepit. 249. Natura genita, id eſt quod natura Filii. 186. Natura Patris, id eſt Pater. 183. Deum de Deo, lumen de lumine &c. dici ſalva unitate naturæ divinæ. 187. Locutio *Trina deitas* ut hæreſis & blaſphemia ab Hincmaro reſpuitur. 101. 102. Trinitas una eſſentialiter & perſonaliter trina deitas. 178. Sicut Deus non eſt in eo trinus quo unus, ita deitas non in eo trina quo una. 177. Trinum Deum Hincmarus affirmans, & negans trinam deitatem dici poſſe, à ratione aberrat. 131. *Trina & una veritas* in libro contra quinque hoſtes per fraudem inſertum non eſſe. 162. Cur in hymno Martyrum *Te trina deitas* non debuerit mutari, ac debeat retineri aut revocari. 169. Trina deitas græcæ ac latinæ Eccleſiæ uſu comprobatur. 173. Hæc locutio à vetuſto interprete concilii VI. uſurpata. 114. Trinam unitatem prædicant Auguſtinus & Pelagius I. 134. Gregorius Naz. 173. Conſentius trinam & unam virtutem in Deo profitetur. 147. Trinam poteſtatem, trinam majeſtatem &c. dicunt Scriptores catholici. 109. Nequidquam obtendit Hincmarus ad hoc eos *neceſſitate metri* adactos. 109. *Trina veritas* adſtruitur ex antiquo officio S. Trinitatis. 199. Trinitatis ſollemnitas quando inſtitui cœpta. 198

V.

VEGETII locus expenditur. 24

Veritatis defenſores non indigent titulis ſuppoſitis. 190

Vigilio Tapſenſi reſtitutus liber contra Felicianum. 203

Unio ad perſonas, unitas ad naturam ab Hilario refertur. 265. & *ſeqq.* Id apud eum eſt unio, quod græcè *μονάς*. 272. Idem aliis patribus ejuſdem vocis uſus. 273. *Unionis hereſis* vocitabatur Sabelliana ſecta. 274. & *ſeqq.* Unionis cauterium. 275. Quid ſibi velit quod dicit Hilarius, *Non ſit una ſubſtantia ex unione.* 280. Quid quod concilium Pariſienſe I. *ut non unio divinitatis, ſed unitas intelligatur.* 283. Unionem perſonæ reſpuit Hilarius. 276. Idem admittit unionem naturæ. 291. admittunt & alii. 290. 293

Unionitæ. 274

Vocum diſtinctio antiquis in libris nulla. 10. De verbis non eſſe litigandum, cùm recto intellectu uſurpantur. 114

Approbatio Cenſoris Regii.

LUcubrationem eximiam & accuratam ſub hac inſcriptione, *Vindiciæ manuſcriptorum codicum à R. P. Bartholomæo Germon impugnatorum, cum Appendice, in quâ ſancti Hilarii loci ab Anonymo obſcurati ac depravati illuſtrantur & explicantur*, legi ex mandato Illuſtriſſimi Galliarum Cancellarii, lectamque probavi. Pariſiis die decima quinta Novembris 1706.

ANQUETIL.

Privilege du Roy.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Prevoſt de Paris, Baillifs Seneſchaux leurs Lieutenans Civils, & autres nos Officiers & Juſticiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre bien amé Dom PIERRE COUSTANT Preſtre, Religieux & Moine de l'Ordre de ſaint Benoiſt de la Congregation de ſaint Maur Nous a fait

remontrer qu'il a compoſé un Livre intitulé *Vindiciæ manuſcriptorum codicum à R. P. Bartholomæo Germon impugnatorum, cum appendice in qua S. Hilarii quidam loci ab Anonymo obſcurati ac depravati illuſtrantur & explicantur*, il nous a fait ſupplier de luy en octroyer nos Lettres neceſſaires pour le faire imprimer & donner au Public. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Expoſant, Nous luy avons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces Preſentes de faire imprimer le ſuſdit Livre en noſtre bonne Ville de Paris, en tels volumes, marges, caracteres, par tel Libraire ou Imprimeur qu'il voudra choiſir, & autant de fois que bon luy ſemblera, durant le temps de quatre années conſecutives, à commencer du jour & date des Preſentes, iceluy vendre & diſtribuer par tout noſtre Roïaume. Faiſons défenſes à tous Libraires & Imprimeurs & autres de Paris ſeulement, d'imprimer, faire imprimer, vendre & diſtribuer ledit Livre ſous quelque pretexte que ce ſoit, meſme d'impreſſion étrangere ny autrement, ſans le conſentement dudit Expoſant ou de ſes ayans cauſe, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, mil livres d'amende, & de tous dépens, dommages & intereſts, à la charge par ledit Expoſant d'en mettre

deux exemplaires en noſtre Biblioteque publique, un autre en noſtre Cabinet des Livres de noſtre Chaſteau du Louvre, & un en celle de noſtre tres-cher & feal Chevalier Chancelier de France, le Sieur de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordre, comme auſſi de faire imprimer ledit Livre ſur de beau & bon papier, & en beaux caracteres, ſuivant les Reglemens de la Librairie & Imprimerie, que l'impreſſion en ſera faite en noſtre Roïaume & non ailleurs, & de faire enregiſtrer ces Preſentes ſur le Regiſtre de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de Paris, le tout à peine de nullité des Preſentes, du contenu deſquelles Vous mandons & enjoignons faire joüir & uſer ledit Expoſant & ſes ayant cauſes pleinement & paiſiblement, ceſſant & faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens contraires. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit livre, copie des Preſentes elles ſoient tenuës pour deuëment ſignifiées, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers-Secretaires, foy ſoit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des Preſentes toutes ſignifications, déſenſes, ſaiſies & autres actes & exploits

neceſſaires, ſans demander autre Permiſſion : CAR tel eſt noſtre plaiſir. DONNE' à Verſailles le vingt-uniéme jour de Novembre, l'an de grace mil ſept cens ſix, & de noſtre Regne le ſoixante-quatriéme. Par le Roy en ſon Conſeil. Signé, BULTEAU.

Et le Reverend Pere Dom Pierre Couſtant, a cedé & transporté ſon droit de Privilege à la Veuve de François Muguet, ſuivant l'accord fait entre-eux.

Regiſtré ſur le Regiſtre numero 2. de la Communauté des Libraire & Imprimeur de Paris, page 155. numero 343. conformement aux Reglemens, & notamment à l'Arreſt du Conſeil du 13. Aouſt 1703. A Paris ce 17. jour de Janvier 1707. Signé, GUERIN, Syndic.

Les Exemplaires ont eſté fournis.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 5. Fevrier 1707.

VAI 1514942

ERRATA.

Pag. 15. *lin.* 8. in quæ. *leg.* in quo.
Pag. 25. *lin.* 7. dem. *leg.* eadem.
Pag. 28. *lin.* 13. ero. *leg.* tero.
Pag. 34. *lin.* 15. primos editores ita credendos. *leg.* primis editoribus ita credendum.
Pag. 57. *lin. pen.* capite 8. *leg.* capite 9.
Pag. 61. *lin.* 19. capite 9. *leg.* capite 10.
Pag. 88. *lin. ult.* ſorde. *leg.* ſordes.
Pag. 119. *lin.* 4. audaciſſimum. *leg.* audaciſſimam.
Pag. 176. *lin.* 13. nec trinæ. *leg.* nec trina. *Mox poſt vocem* deitatum, *adde*, nempe dicere æquè licet: Patris eſt deitas, Filii eſt deitas, Spiritus-ſancti eſt deitas; & una tamen eſt deitas.
Pag. 203. *lin.* 22. attribuant. *leg.* attribuat.
Pag. 235. *lin.* 25. *dele* eum.

Digitized by Google

152
E
38

Digitized by Google

Digitized by Google